CENSURA SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ COLONIENSIS, IN QUATUOR...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 H
6

CENSVRA SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGICÆ COLONIENSIS;

IN QVATVOR PRIORES LIBROS DE REPVBL. ECclesiastica M. Antonij de Dominis, quondam Archiepiscopi Spalatensis.

Coll. Rom. Soc. Jesu Catal. Inscript. B.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud ANTONIVM HIERAT.
M. DC. XVIII.

Errata sic corrigantur.

Probat, lege probant, p.17.l.5. error, adde in eo, p. 24. l. 20. feci, lege fecit, p.34. l. 22. habitarum, habitam, 39. l. 4. propositio, adde, posterior hæretica: prior, p. 34. l. 1. Librisq;, lege Libriq; 72.l.3. Ecclesiæ, Epistolæ, 76.l.10. rogatur, regatur, 78. l. 13. nihil, nulli, 92. l. 10. iniuriosus, adde in Rom. Pontificem, 96.l.13. illi, dele p.18.l.6. credat, lege credant, p.18.l.11.



SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO
In Christo Patri ac Domino D.

FERDINANDO

ELECTO ET CONFIRMATO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI, S.R. IMPERII PER ITALIAM ARCHI-Cancellario, Principi Electori; Leodiensi, Monasteriensi, Episcopo; Paderbornensi, Hildeshemensi, Berchtesgadensi, & Stabulensi, respectiue Coadiutori & Administratori; Comiti Palat. Rheni; vtriusque Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ & Bullionis Duci; Marchioni Franchimontensi; Comiti Lossensi, &c. LEGATO Sedis Apostol. NATO: S. THEOLOGICA FACVLTAS VNIVERSITATIS COLONIENSIS SEMPITERNAM FOELICITATEM.

POSTQVAM M. Antonij de Dominis, Archiepiscopi quondam Spalatensis, nunc Apostatæ, de Republ. Ecclesiastica nouellæ lucubrationes, Serenissimæ Celsitud. Vestræ oculos offenderunt,

 dignum

dignum tanto Præſule, quantum in FERDINANDO Catholici omnes veneramur, conſilium ſuſcepit, librorum eiuſmodi, priuſquam Subditorum ſuorum vſui permitterentur, finem, fidem, & argumenta per ſanctam Facultatem Theologicam Almæ Vniuerſitatis Colonienſ. inueſtigandi.

Etſi verò ipſa profeſſionis & officij noſtri ratio poſtularet, vt nemine etiam hortante, clypeum aliquem virulentis Aduerſarij iſtius iaculis tempeſtiuè obijceremus, memores pietatis & diligentiæ à Maioribus noſtris, contra Martinum Lutherum ante 100. plus minus annos pro Eccleſia in ſimili negotio præſtitæ. Ex quo tamen Sereniſſimæ Celſitud. Veſtr. placuit, currentibus inſuper ſtimulum addere; iniunctus labor non minùs celeri, quàm proſpero, vt ſperamus, exitu conſummatus eſt.

Is igitur vt breui verborum periodo, & ſummario veluti ſchemate eidem innoteſcat, Codicem inprimis Apoſtatæ ſupradicti, excuſum in Anglia, à capite vſque ad calcem euoluimus, quanto quiſque animi

tædio

tædio & indignatione; quanto ſtupore, ac trepidatione, æſtimari non poteſt. Nauſeam mouebat intolerabilis ſuperbia, in ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus ac Concilijs tàm vetuſtis quàm recentioribus vilipendendis, deprimendisque, quaſi ſolus ipſe ſuper omnes alios, noſtro tãdem hoc ſæculo, veluti cedrus quædam in Libano excreuiſſet; quæ quidem arrogantia cum ante defectionẽ hominis ſub vlcere quodammodo occulta latuerit, nunc porrò purulento facundiæ genere foras erupit. *Pſal. 36.*

Indignatio accendebatur, ex peruerſâ docendi libidine, quâ ſacros Scripturarum textus, ſciens, volens, à genuino ſenſu, ad eorum ingenium ſcilicet, quorum *farre viuit & ære*, violenter detorquet.

In ſtuporem verò quis non raperetur maximum, quod tantæ in Eccleſiâ dignitatis Antiſtes, in ſua pariter & Mundi ſenectute, hæreſibus verò pleriſque iam ad interitum labentibus: ab Eccleſia Iuſtorum ad ſynagogam declinauerit impiorum; è domo paterna, ad Exilium; ab ouibus Chriſti ad porcos; à pane filiorum ad ſiliquas; Et *qui nutriebatur in croceis, amplexatus ſit ſtercora*? *Thren. 4.*

 Nimi-

Nimirum manifesta facta sunt in Marco Antonio, viuentis Dei iudicia, qui superbos *Mente cordis sui* omnium vehementissimè execratur: ad quæ proinde iustum ac rationabile est, vt nobiscum boni omnes, cuiuscunque ordinis ac sublimitatis sint, dum stare sibi videntur, toto corpore & animo contremiscant, ne concidant.

uc.1.

Libro euoluto, & Spiritu veritatis solenni ritu inuocato, totum quidem illum veluti Hæreticum, schismaticum, scandalosum, ac seditiosum; plenum nouis antiquisque hæresibus, erroribus, falsitatibus, mendacijs; contra Fidem & Mores, aduersus publicam pacem ac iustitiam, contra omnem reuerentiam & obedientiam Ecclesiæ Prælatis debitam refertum conuitijs & calumnijs, abolendum exurendumque censuimus: sed quosdam præcipuè articulos notare visum est; ne si quibus fortè sententia hæc nostra dubium pepererit, ipsum Authoris pestilentissimum codicem tractare cogantur; sed vel ex opusculo hoc quasi ex pauculis pomis, reliquos etiam maledictæ istius arboris fructus cognoscant.


Tuum

Tuum nunc eſt, Sereniſſime Princeps, Præſul vigilantiſſime, Lupi huius inſidijs opportunè occurrere: prætactũ opus, quaſi Circæũ poculum, quod bibentes in porcos tranſmutaſſe Poetæ fabulantur, fidelibus interdicere: Exemplaria procul à finibus Archiepiſcopatus Colonienſis proſcribere ad Vulcanum vſq;: Nec aliud memoriæ M. Antonij Monumentum permittere, quàm vnde probi & improbi omnes intelligant, *Impoßibile eſſe corrigere quem Deus deſpexit.*

Hiſce, quod reliquum eſt, Sereniſſimæ Celſitud. Veſtr. incolumitatem, die noctuque humillimis votis Deo Opt. Max. commendamus. Coloniæ Ipſa S. Ambroſij Eccleſiæ Doct. Anno Chriſti. M. D C. XVIII.

CENSVRA SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGICÆ COLONIENSIS.

In quatuor priores libros de Republ. Ecclesiast. à M. Antonio de Dominis nuper editos.



PAstoralis officij sui & administrationis à Deo sibi cōmissæ memor B. PETRVS vt Ecclesiam aduersus futuras hæreticorū insidias præmuniret *fuerunt* ait *& pseudoprophetæ in populo sicut & in vobis erūt magistri mēdaces,* qui *introducēt sectas perditionis.* 2. Pet 2.
Quod quam verū fuerit totis iā sexdecim sæculis experta est Ecclesia & miserrime etiam nū experitur: dum *exeunt ex nobis qui non erant ex nobis.* 1. Ioa. 2.

Fidelis tamen DEVS sicuti Ecclesię supra B. PETRVM ædificandę inuiolabilē promisit firmitatem, ita exurgentibus, cōtra eam hæresibus suos excitauit excubitores, qui pro domo Dei quæ est *COLVMNA & firmamētum veritatis* indefesso studio sese opponerent, factumq; id nō tantum ab Episcopis & Pastorib. *quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiā Dei*, sed etiā ab Vniuersitatib. & Collegijs quę ad hoc Deus in Ecclesia instituit vt *depositum* antiquæ Orthodoxæq, fidei illic contra omnes *profanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ* custodiretur. 1. Tim 3. Act. 20. 1. Tim

Qua propter facultas Theologica Coloniēsis

memor

memor obſequij quod Chriſto eiuſq; Eccleſiæ debet, & diligentiæ, quam contra emergentes hæreſes ſuis temporib. Doctores eiuſdẽ facultatis, ſemper præſtiterunt, poſtquam intellexiſſet editum eſſe librũ de Republ. Eccleſ. M. Antonij de Dominis, quẽ & ex fœdiſſima Authoris apoſtaſia, & ex edita ab eodem breui apoſtaſiæ apologia meritiſſimo ſuſpectum habebat, ne felices Eccleſiæ progreſſus, quibus illa, Deo benedicẽte, quotidie, de hæreſibus iam ſeneſcentib. triũphat, quicquam detrimenti, aut impedimenti, à nouo hoc malo acciperet, putauit illud ſibi merito incumbere, vt in hunc M. Antonij librum diligentiſſime inquireret.

Qua de cauſſa cum ann. Dom. 1618. die 8. Februar. poſt priuatas libri totius relectiones Ex. D. SEVERINVS Binius eiuſdem Facult. D. & Decan. toti Facult. poſt Miſſam de S. Spiritu, ſolenniter cõgregatæ, in domo Capitulari Franciſcanorum Conuent. & ſuo & aliorum DD. nomine expoſuiſſet; *Quatuor libros priores M. Antonij de Dominis de Republ. Eccleſ.* editos, apud Ioãnem Bilium Londini an. 1617. ab ipſis priuatim lectos, multas propoſitiones hæreticas, ſchiſmaticas, erroneas, & calumnioſas, continere; adeoq; pro honore Facultatis neceſſarium videri, vt eadẽ. Prędeceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtens ac ſpeciatim ad hoc Sereniſſ. ſui Principis Electoris hortatu animata è ſuo Collegio, quoſdã Mag. NN. deputare dignetur, qui Opus totum publica cõ-
miſſione

missione relegant, & propositiones in eo offēsiuas extrahant, easq; deinde ad totā Facultatem referant: Facultas huic petitioni deferēs, quinq; DD. propositum à D. Decano negotium solicitè cōmisit, supradicta Februar. die, Qui dein accuratè perlecto opere, exceptisq; propositionibus infra descriptis, vlt. Martij toti Facultati solenniter apud Dominicanos cōgregatæ easdē exhibuerunt, tanquam selectas, & præ cæteris notabiliores: cū alioquin totus liber hæresibus, falsis, detortisq; expositionibus, citationibus fraudulentis, & truncatis, calumnijs, & conuitijs plenus sit.

Facultas itaq; singulis rite examinatis, discussis, & ad ipsum exēplar collatis; ex tunc censuit sicuti & nunc per præsentes censet, ac declarat:

I. Totum librū, tanquā S. Scripturæ, Concilijs, Vnanimi SS. PP. Doctrinæ, à Christo Dom. institutæ & perpetuo obseruatę Ecclesiast. hierarchię contrariū, hęreticum, schismaticū, calūnijs in oēs Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, ac nominatim in ipsum toti⁹ Eccles. CAPVT Rom. Pōtificē maledicētissimis impudētissimis mēdacijs, arrogātissimis in quoslibet Scriptores iudicijs, mordacibus & Christiana modestia indignis sarcasmis plenum, damnandum esse pro vt de facto censet ac damnat.

II. Pontificē ipsum, tanquā verū VNIVERSALIS Ecclesiæ CAPVT humillime obsecrādū, sicut de facto obsecrat, vt pro defensione Ecclesiasticæ

Hierarchiæ & PRIMATVS sedis Apostol. ad exemplar Sanctissimorũ Prædecessorũ suorum nõ grauetur facere cõtra M. Antoniũ: quod in simili PRIMATVS impugnatione, octaua Generalis Synodus petijt ab Adrian. Pap. cõtra Photium. Similiter rogandos oẽs Eccles. Cathol. Antistites, ac præcipuè SERENISSIMVM & REVERENDISSIMVM Archiepiscopũ & Principẽ Electorẽ Nostrum, vt eundem hunc librum, ex omnibus diœcesium suarum finibus, tanquam hæreticum & subditis noxium proscribere, & relegare Ecclesiastica sua Authoritate dignentur.

III. Omnes Ecclesię Cathol. Principes ac defensores, & vniuersum Magistratũ Ciuilẽ humillimè obsecrandos pro vt de facto obsecrat; vt Ciuilibus quoq; edictis, & pœnis subditorũ suorũ saluti & fidei contra hunc librum sic prospiciãt; vt exemplaribus vbiq; locorum exustis, omnes intelligant, melius in hoc mundo esse, vt libri mali pereant, quam animæ Christi sanguine redemptæ per eos perdantur.

IV. Vt propositiones per deputatos DD. selectę, ac per Facultatem examinatæ, ad publicum veritatis eorum quæ per Facultatem acta essent testimonium, deputato ad hoc typographò tradantur, & curantibus à Facultate deputatis, in lucem emittantur: Datum Coloniæ in nostra Congregatione Generali, apud Prædicatores, in domo Capitulari celebrata. anu. 1618. vltima Martij.


PROPOSITIONES,

EX IV. LIB. M. ANTONII ſupramemoratis, ſelectæ, & per Facult. Theolog. Colon. damnatæ.

LIBER PRIMVS.

Præfatio.

Num. 2.



VLIER fortiſſima, *Eccleſia*, miſerandum in modum delituit.

Propoſitio hæretica, viſibilitati Eccleſiæ, quæ nullo vnquam tempore delituit, repugnans.

Num. 3.

Tempore Auguſtini ipſa mulier rurſum cogitur deliteſcere, & paucorum ſe obtutibus exhibet intuendam.

Propoſitio falſa, quæ in autore ignorantiam hiſtoriarum Eccleſiaſticarum manifeſtat, indicatq; eundem (etſi frequentibus S. Auguſtini teſtimoniis glorietur) tamen in lectione Auguſtini minus fuiſſe verſatum: ſiquidem in omnibus libris contra Donatiſtas, præcipuum eius argumentum ex viſibilitate & vniuerſalitate Eccleſiæ eſt deſumptum.

In expoſitione conſilij ſuæ præfationis.

Num. 3.

Meam hanc in loci mutatione, diuinam eſſe vocationem non humanā, nullo modo aut poſſum, aut debeo ambigere.

Propoſitio Svvencfeldiana repugnans ordinariæ & legitimæ vocationi Miniſtrorum Eccleſiæ, quæ ad Rom. 10. deſcribitur.

Num. 4.

Piaculum ducebam, ne aduerſus fidei certa mihi putata dogmata (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leue dubium admitterē.

Propoſitio calumnioſa in Eccleſiam, quæ in articulis fidei errare non poteſt.

Ibidem.

Eos *libros hæreticos* meritò prohiberi cenſebā; ne vulgares homines iudicio & diſcretione deſtituti, falſitatis imbibendæ periculis exponantur: quod verò ſtudioſis, & optime erga Catholicam fidem affectis, & ſana doctrina pollentibus penitus auferrentur, ſuſpicione rem non carere, vt ratio meritò dictat, ſemper ſum arbitratus. In quibus abſcondendis, ſupprimendis, perdendis, adeo laboratur, vt hoc ipſo latere aliquid in illis liceat ſuſpicari, cui conuellendo doctrina noſtra non ſufficiat.

Suſpicio temeraria in Eccleſiam, calumnioſa & falſa; in verbis, ratio merito dictat, *&* latere aliquid. *&c.*

Num. 8.

Num. 8.

Vidi iam apertiſſime penituſq́; perſpexi Romæ, abſque vllo legitimo fundamento, imo per ſummam vim, in innumeros fidei articulos nouos quotidiè cudi, & nobis obtrudi, &c.

Narratio falſa, & in Eccleſiam Romanam iniurioſa, & calumnioſa.

Num. 10.

Quid iam ſunt Epiſcopi ſub Romano potentatu? In temporalibus quidem, vbi optima ſunt ſacerdotia, & dignitate eminent ſæculari, Magnates ſunt, conſpicui ſunt, principes ſunt; ſed Epiſcopi, niſi æquiuoce, nequaquam ſunt.

Propoſitio falſa, & calumnioſa, hæreſin Huſsitarum redolens, vt & ratio ſubſequens.

Ibidem.

Eccleſia ſub Romano Pontifice, non eſt amplius Eccleſia: ſed Reſp. quædam humana ſub Papæ Monarchia tota temporali: Vinea eſt, ad ſolum Noë inebriandum, &c.

Propoſitio hæretica & maledica.

Num. 13.

Cũ aliquando Rex Dauid de adulterio & homicidio eſſet obiurgandus, nõ ſummus Põtifex, nõ alius aut Sacerdos, aut Leuita; non quiſpiam aut amicus aut familiaris, id muneris auſus eſt aſſumere; ſed Deus ipſe ſuos proprios ac peculiares ad hoc exhibuit nuncios, Nathanq; Prophetã.

Adulatio Anglicana, adimens Romano Pontifici poteſtatem corrigendi & cenſendi Magnatum delicta.

Ibidem

Ibidem.

Non eſt noſtri Romani Papæ, non eſt tanta maieſtas, vt terrere debeat: ficta eſt illa, temporalis, & faſtuoſa maieſtas, vſurpata eſt, nulla eſt.

Si loquatur de poteſtate indirecta, quam habet Papa ſuper Principes, hæretica eſt: ſi de temporali dominio rerum Eccleſiæ Rom. donatarum, iniurioſa & falſa eſt.

Num. 16.

Cauete, ne cum Stephano excommunicationibus importunis, charitatem abrumpere tentetis.

Propoſitio in B. Stephanum Papam I. & Martyrem iniurioſa.

CAPVT I.

Num. 1.

QVi de republica Eccleſiaſtica, ſicut de purè humanis, philoſophantur, mihi videntur, non parum à recto tramite aberrare: non modo quia in eo requirunt veram iuriſdictionem, hoc eſt, vim coactiuam, & ſubiectionem externam.

Propoſitio hæretica, quatenus negat in Eccleſia iuriſdictionem coactiuam.

Ibidem.

Multo magis, *aberrant*, qui putant, vt in humanis, abſente Rege, & Reipublicæ gubernatore, ſicut etiam eo ex humanis ſublato, alium eſſe eidem ſubrogandum.

Propo-

Propositio similiter hæretica, quatenus negat in Ecclesia regimen vnius: eamq; inepte autor probat.

Num. 2.

Nullum ergo aliud caput agnoſcebat Paulus niſi Chriſtum; & inter membra Chriſti, non ſecus includit etiam Petrum, quàm ſe & alios Apoſtolos, ac fideles.

Propoſitio falſa.

Num. 3.

Hoc vero regimẽ eſſe ſpirituale, nec egere corporali pręſentia, ſed influxu internę gratię ipſum peragi, ſatis declarat idem Paulus.

Propoſitio, quatenus viſibile Eccleſiæ Caput & regimẽ tollit, hæretica eſt.

Num. 4.

Quando itaque ait Apoſtolus, Caput nõ poſſe dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, intelligit caput, vt eſt commembrum in eodẽ corpore cum pedibus; non autem vt eſt ſuo influxu, ſuaq́; virtute totius corporis rectiuum.

Expoſitio falſa & detorta.

Num. 5.

Auguſtinus neque extra Chriſtum cognoſcit caput vllum.

Propoſitio falſa eſt, & S. Auguſtino iniurioſa.

Num. 6.

Abhorret vero plurimum idem Gregorius, ſi

aliquo

aliquo pacto dicatur Ecclesia habere in terris vllum caput præter Christum, ne Apostolum quidem.

Propositio falsa: cum S. Gregorius l. 7. epist. 30. quæ est ad Eulogium, apertè profiteatur, nomen Vniuersalis Episcopi oblatum esse Romanæ sedi per synodum Chalcedonensem.

Num. 10.

Caput vt caput nullum aliud habet officium, nisi interno influxu regere & gubernare totum corpus.

Propositio erronea, & subuersiua omnis regiminis ciuilis & Ecclesiastici.

Ibidem.

Quicunque homo in Ecclesia est vt visibilis, membrum, non caput est.

Propositio hæretica.

Num, 13.

Sacerdotes omnes mortales in Ecclesia Christi, quicunque illi sint, non tam dicuntur proprie Sacrificium offerre, quod verè & propriè solus Christus obtulit, quàm Sacrificij illius maximi memoriam celebrare.

Propositio hæretica, quatenus negat Sacerdotes offerentes corpus & sanguinem Christi, sub specie panis & vini contenta, esse verum & proprium Sacrificium.

Ibidem.

Neque quisquã verè & propriè, vt docet Augustinus & Chrysostomus, sacrificat, sed memoriam *solam* repræsentat.

Propo-

Propositio falsa, & in allegatos Patres iniuriosa: quorum sententiam, addendo vocẽ solam, *contra propriam conscientiam corrumpit. S. Augustinus enim verbis ab autore eodẽ hoc numero citatis dicit:* [*Christiani peracti eius sacrificij memoriã celebrant* sacrosancta oblatione, *& participatione corporis & sanguinis Domini.*]

Num. 14.

Non Ambrosio plus Petrus, quàm sola imago Pontificis Christi, tantundem quantum quilibet aliorum Apostolorum.

Propositio falso deducta ex verbis S. Ambrosii in particula sola.

Num. 22.

Non est difficile in doctrina Catholica defendere, Ecclesiam veram primitiuam post Christi ascensum propriè suum ortum habuisse.

Propositio temeraria, si non hæretica, repugnans æternitati regni Christi.

Num. 13.

Quod ergo in terra Christus mortalis visibiliter exercuit; hoc & non aliud mortalibus hominibus ipsius ministris exercendũ committebat: & quod ipse mortalis visibiliter nõ exercuit, neque mortalibus commisit, imò nec committere debuit; sed sibi vt vero capiti & Domino reseruauit; internum videlicet & spiritualẽ influxũ, & omnes internos spirituales & supernaturales effectus: extra quos nudũ relinquebat suis ministris externum ministerium & laborem.

Funda-

Fundamentum hæreticum, hæreſeos, quam plenius author tractat ſequenti capite.

Num. 14.

Ego ſane in Chriſti viſibili regimine ordinario hęc tantum obſeruo, ſacramenta viſibilia inſtituere; Miniſtros vocare & mittere; Euangelizare; Miniſtros ſuos errantes corripere & increpare; Legem explicare, eamq́; à corruptelis vindicare. Alterius generis officia à Capite Chriſto, vt viſibilis erat, prodeuntia, ego certe non reperio.

Propoſitio hæretica, quam plenius tractat autor tertio capite.

Ibidem.

Reliqua omnia hæc munera omnibus Apoſtolis ſunt æque à Chriſto commiſſa.

Propoſitio hæretica, in verbo æque.

CAPVT II.

Apoſtolorum munus fuiſſe tantum miniſteriale.

Titulus hæreticus, quem ex teſtimonijs diuerſis ſcripturæ, quibus Apoſtoli Chriſti Dei miniſtri appellantur, addita particula tantum *malitioſe probare prætendit.*

Num. 7.

Nos verò, inquiunt, Apoſtoli, orationi & Miniſterio

nisterio instantes verbi erimus. Non dicunt: Nos legibus coactiuis condendis, ac tribunali vacamus, nos pro arbitrio præcipiendo, puniendo, dominando, occupabimur: sed orationi & ministerio verbi instantes erimus: Quia aliud sibi officium commissum non agnoscebant.

Propositio falsa, & inepta argumentatio; in qua ex negatione violentæ dominationis, infert negationem legitimæ potestatis.

CAPVT III.

Apostolos omnes, in omni officio, & munere Apostolico, ac in omni potestate fuisse inter se pares, & omninò æquales.

PRopositio vel titularis Inscriptio planè hæretica, quam ad nauseam toto capite frequenter repetit.

Num.6.

Sed expressam æqualitatem potestatis inter Apostolos agnouit, semper antiquitas.

Calumnia.

Num.18.

Euidenter colligo; disparitatem potestatis inter Apostolos, esse humanum inuentum.

Propositio hæretica & schismatica.

Num.19.

Eodem modo, quo ouis, putà Ioannes, subdi-

tus est Petro, propter Apostolatum; etiam ouis Petrus, vice versa subditus erit Ioanni & reliquis, propter eorum Apostolatum.

Propositio hæretica, quatenus Petrum subijcit Ioanni, cum Petrus soli Christo fuerit subiectus.

Num. 14.

Omnium Romanorum Pontificum, in hoc genere, dicta, meritò suspecta possunt haberi. *Et paulò pòst eodem:* Vt pluris facienda sint dicta Cypriani, Hieronymi & Augustini, quàm Leonis; neq; vnius Leonis oratoriè amplificatum dictũ, poterit apertissimis in contrarium tot Sanctorum Patrum dictis, fidem derogare.

Assertio temeraria & audax.

Num. 33.

Planum est, neque à Christo Monarchiæ formam fuisse immediatè in Ecclesia institutam.

Propositio hæretica & schismatica, Hierarchiæ & pacis Ecclesiasticæ perturbatiua.

Num. 34.

Per plura prima sæcula Christi Ecclesia formam Apostolicam regiminis seruans, constanterque retinens, nunquam ne vmbram quidem Monarchiæ admisit.

Assertio falsa, historiæ Ecclesiasticæ repugnans.

CAP.

CAPVT IV.

Apoſtolis omnibus & non ſoli Petro, Chriſti Vicarij in terris nomen & officium, æquè competijſſe.

Titulus hæreticus in verbo AEQVE. *Nam ſicuti Epiſcopi & Sacerdotes imò & laici baptizantes ſunt Vicarij Chriſti, ſed non æquè, quia non cum æquali poteſtatis plenitudine; ita Petrus & Apoſtoli omnes ſunt Vicarij cum plenitudine poteſtatis; ſed non æquè: quia non æquali modo. Petro enim datus fuit, vicariatus vt officium ordinarium, quod in ſucceſſorem eius tranſmitteretur; reliquis vt officium extraordinarium in ſucceſſores eorundem non tranſmittendum.*

Num. 2.

Si de vero & proprio Vicario loquamur, qui perfectiſſimè Chriſti vices, poſt eius in cœlum aſcenſum, plenè geſſerit, geratq; in terris, & geſturus ſit, vſq; ad conſummationem ſæculi, quis dubitat eſſe ſpiritum ſanctum paracletum?

Hæc propoſitio eſt erronea & periculoſa hæreſin Macedonij renouans in verbo Vicarij, *propriè ſumpti.*

Num. 4.

Patet denique Auguſtinum in Petro nullum primatum autoritatiuum agnouiſſe; imò ne ſuſpicatum quidem fuiſſe.

Aſſertio falſa, & in S. Auguſtinum iniurioſa.

CAPVT V.

Num.3.

MAtthæus enim priusquam illa contigissent, recenset nomina duodecim Apostolorum hoc pacto.

Propositio falsa. Matthæus enim non recenset nomina Apostolorum, nisi aliquot annis post Christi resurrectionem, quando Euangelium scripsit.

Num.7.

Inuenio ego Petrum primatum aliquem, citra tamen Principatum potestatiuum, & iurisdictionalem, esse consecutum; nimirum ex ætate, &c.

Propositio hæretica in verbis, citra principatum potestatiuum & iurisdictionalem.

Num.17.

Hæ antiquæ Epistolę, etiamsi illorum Pontificum quibus ascribuntur, vix esse credantur, vt alibi differemus, sunt tamen satis antiquæ, & ad oppugnandas Romanas traditiones, non ad confirmandas validæ.

In epistolis Decretalib. censendis & dijudicandis Magdeburgensium hæreticorum exemplum imitatur hæreticus, vt contra Epistolas Primatum Petri potestatiuum & Iurisdictionalem mille locis asserentes, triumphare possit.

Num.19.

Num.19.finali.

Atque hunc ſolum primatum: nempe ætatis. vocationis, & amoris: conuincunt & non alium maiorem, plurima diuinæ ſcripturæ, & ſanctorum Patrum loca.

Propoſitio falſa & hæretica in verbo, non alium.

CAPVT VI.

Num. 4.

NEque video, cur tres poſteriores ſententias maluerit tribuere Eraſmo, Caluino, & Luthero, quam Catholicis Patribus in Eccleſia etiam Romana celeberrimis.

Propoſitio fraudulenta; indicat enim expoſitiones illas hæreticas, eſſe Sanctorum Patrum, cùm tamen eorum non ſint.

Ibidem poſt pauca.

Eraſmum dicit ſentire, cum Origene omnem hominem fidelem eſſe hanc petram, ſuper quam Eccleſiã ædificandam eſſe Chriſtus pronunciat.

Mendax de Origene ſententia, qui ſenſu literali hæc accipiens, Catholicam expoſitionem amplectitur: allegoricè omnibus fidelibus eadem accommodat.

Num.10.prope finem.

Hi ſanè omnes dum Petrum à petra, id eſt, à Chriſto, nomen habuiſſe contendunt; procul dubio per illa verba, ſuper petram, vix conſentire

possunt significari super Petrum si Petrus Petrus non est, nisi à petra qui est Christus.

Consequentia sophistica: quia nomen Petræ, sicut Capitis aliorumq; conuenit Christo, & Simoni Ioannis; sed differenter; illi per excellentiam, huic per participationem.

Num. 15.

In his verò Breuiarij potiùs deformationibus, quàm reformationibus, quia bonam fidem desideramus, meritò scandalum datum patimur.

Propositio temeraria (cùm nulla sit causa desiderandi in his bonam fidem) & præsumptuosa, ac in Ecclesiam impia, in verbis: meritò, & scandalum datum, si non hæretica & schismatica.

Num. 16.

Videsne ab Ambrosio expressè negari, petram ibi ad personam Petri referri?

Imponit Ambrosio: veramq; sententiæ illius expositionem statim malè impugnat. Quod idem rursus facit in Chrysostomo infra num. 19.

Num. 10,

Christus & fides Christi Ecclesiam illam, quam meam dixit Christus, post passionem tantum, & resurrectionem ædificauit.

Propositio hæretica, omnes enim, quotquot ante Christi natiuitatem saluati sunt, per fidem Christi saluati sunt.

Num. 21.

Num. 21.

Similitudo ſeu Metaphora ædificii in eo conſiſtit, vt ſicut fundamento hærent reliqui lapides, & ab eo ſuſtentantur in illa vnione, & cohærentia; ita & eccleſia, hoc eſt, fideles, in fide vna & eadem innixi, inter ſe retinent cohærentiam & vnionem; qua fide ſublata, concidunt ex ædificio illi, qui cum cæteris fidelibus ſola fide & ei annexis cohærebant, hoc autem neque de Petro, neque de vllo homine poteſt verificari. Imo omnino contrarium ſequeretur, ſi homo eſſet fundamentum Eccleſiæ: non enim fideles, qui faciunt Eccleſiam, inter ſe ſunt vnum, quia vni Petro, vel alteri homini adhærent.

Explicatio fraudulenta & tegens hæreſin in verbis illis: hoc autem neque de Petro poteſt verificari. Eccleſia enim vna eſt vnitate fidei ab vno Paſtore propoſita.

Num. 30.

Adeò enim difficile ne dicam impoſſibile eſt ſuprematum hunc Petri, ex illis præcisè promiſſis, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã, colligere aut confirmare; vt vel ipſi Monarchici noſtri, quo ſe vertant, non inueniant; vt in nomine ſeu metaphora fundamenti primatus inueniant autoritatem, & Petri ſupremam præfecturam.

Propoſitio falſa & calumnioſa, nam in moralibus is, qui fundamentum eſt, etiam caput eſt; ſoli autem Petro

data est promißio fundamenti: adeoq; & soli per fidelitatem Christi, hac dignitas collota.

Num.35.

Petrus fermè statim ab illa eadem fide decidit, neq; semel, sed sæpiùs titubauit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti illapsum.

Propositio in B. Petrum iniuriosa & erronea.

Num.39.

Neq; putet quis ibi Petro commendari fratres, hoc est, coapostolos: nam fratrum nomine Christus intelligit fideles omnes ab Apostolis instruendos.

Expositio erronea & communi Sanctorum Patrum interpretationi repugnans, verbo fratres.

Ibidem post pauca.

Tu qui lapsu tuo plurimùm fratres tuos Apostolos scandalizasti, qui maximè omnium debebas esse cæteris posterioribus, & iunioribus exemplum constantiæ, conuersus tua pœnitentia, confirma illos.

Erronea expositio verbi, confirma.

Num.45.

Omnibus porrò Apostolis, non minus quàm Petro, eandem competere Metaphoricam fundamenti rationem, senserunt Patres ferè omnes Catholicæ Ecclesiæ propugnatores.

Propo-

Propositio falsa & erronea, plus enim quàm reliqui Apostoli habuit Petrus, quia specialius ei promisit Christus, quod ad probationes ex Patrum authoritate petitas attinet, congerit eas quidem author, sed assertionem suam nihil probat.

Num. 49.

Profectò Hieronymus dicit ex æquo omnes Apostolos fuisse Ecclesiæ fundamenta: neq; addit Petrum tunc factum ordinarium Pastorem & caput; à quo penderent cæteri Apostoli in regimine.

Abuitur testimonio S. Hieronymi cum B. Hieronymus expreßè ibi addat; sed vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.

Num. 50.

Interim verò plurimùm conqueror, quod nũquam Monarchici exposuerint, quid sit ipsa Ecclesiæ ædificatio, & quomodo illa in solo Petro fuerit verificata, si soli Petro fuit promissa.

Propositio in scriptores Catholicos iniuriosa; cùm potiùs author se debuerit accusare socordiæ, qui ad rem tanti momenti non aduerterit.

CAPVT VII.

Num. 3.

OStendo nihil promitti aut dari Petro illis verbis: quodcunque ligaueris, quod alijs promissum non fuerit, hoc enim Patres & animaduerterunt, & expresserunt.

Propositio hæretica, erronea & in Sanctos Patres calumniosa.

Num.4.

Nihilominus illius Concilij (Coloniensis) Patres primatum Petri supra alios Apostolos, & consequenter illi Monarchiam Petri certè hoc loco non admittebant.

Propositio in Patres Concilij Coloniensis contumeliosa, constat enim ex eiusdem Concilii actis inter ea de quibus examinari debent ei qui de hæresi suspecti sunt quæstione 37. quæri, An credat S. Petrum fuisse Principem Apostolorum, & Christi Vicarium, & Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ summum Pontificem.

Num.13.

Quia igitur Patres communiter tantundem dari, seu promitti omnibus Apostolis censuerunt illis verbis: Quæcunq; alligaueritis &c. quantum promissum seu datum sit Petro illis; Quodcunq; ligaueris &c. ne hinc rueret totum Papatus fundamentum, Patres omninò deserere nostris diebus coactus fuit Maldonatus. *Et post pauca*: Non ego, inquit Maldonatus, eodem sensu quo Patres, etiam alijs Apostolis, hoc dictum interpretor.

Ingens impudentia M. Antonij, qui non veritus est Maldonatum corrumpere, vt fingeret eum ad sustentandum Papatus fundamentum, à Patrum expositione recedere, & pro verbis Maldonati. Nec enim eodem sensu quo Petro, atq; alijs Apostolis dictum interpretor quodcunq; solueris, &c. fraudulenter supponere. *Non ego eodem*

dem ſenſu quo Patres etiam alijs Apoſtolis hoc dictum interpretor,

Num.14.

Patres vt vidimus num. 4. & adhuc inferiùs meliùs videbimus, clauium traditionem aliam in Euangelio non agnoſcunt, niſi Ioannis 20. ſicut miſit me Pater,&c. Et accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis,&c.

Propoſitio erronea, cùm frequentiſsimè Patres agnoſcant B. Petro datam poteſtatem clauium, verbis illis: Paeſce oues.

Num.15.

Velut nouum omninò & ſanctis Patribus aduerſans, ac fortaſſe etiam diuinæ ſcripturæ repugnans; reijciendum puto, & procul ab Eccleſia Catholica amandandũ, id quod recentiores iſti Theologi nuper excogitauerunt, & ex illa Chriſti actione erga Petrum ſingulari, non modò inſufficienter, ſed etiam perperam de *Ordinaria & primaria* cura paſtorali collegerunt.

Propoſitio temeraria in verbis iſtis: patribus aduerſans,& ſcripturæ repugnans, *& calumnioſa in verbo* inſufficienter & perperam.

Num.16.

In re quidem & promiſſa & data, non eſt difficultas, vt iam manifeſtum reddidi, quia totum datum eſt Apoſtolis, quod Petro; & in hac plenè mecum noſtri Monarchici conueniunt, vel inuiti.

Inepta gloriatio & falſa.

Num.18.

Num.18.

Hæc eſt pura & defæcata Cypriani lectio, prout omnes antiqui Codices habent. Pamelius enim Aldo Grammatico nixus, ineptè intruſit illa verba, Primatus Petro datur; quæ ex aliquo marginali, ſi dolus malus abfuit, in textum aliquem impurum, irrepſerint.

Temeraria cenſura Aldinæ & Pamelianæ lectionis, cùm ea antiquis codicibus firmetur.

Ibidem circa medium.

Agnoſcit ergo Cyprianus myſterium in eo, quod ſoli Petro Dominus loquatur, & non myſterium vllius ſuprematus.

Hoc loco, vt & toto deinceps capite, variè author detorquet ſententias Sanctorum Patrum, ne hæreſi iam ab eo frequenter inſinuatæ præiudicare videantur, vnde & falsò tandem maledicè ac hæreticè numero 32. concludit.

CAPVT VIII.

Non conferri in Petrum primatum Eccleſiæ illis verbis: Paſce oues meas.

PRopoſitio hæretica & omnium ferè Conciliorum Actis repugnans.

Num.3.

Quod ergo vni Petro, & ſeorſim dicitur, *paſce oues meas*, myſterium tantum eſt: vt diſcant omnes

Apoſto-

Apoſtoli & miniſtri Chriſti, etiamſi ſint innumerabiles, vnicam tamen omnes & eandem exercere paſturam, & omnes ſimul ac in ſolidum vnicum eos debere eſſe paſtorem.

Propoſitio hæretica, & ſcripturæ, ad eam confirmandam, violenta expoſitio.

Num. 4.

Hic (nempe in verbis, Paſce oues meas) poſſet aliquis, nec fortaſſis immeritò, ad ſolam paſturam, hoc eſt, prædicationem ſe reſtringere.

Expoſitio hæretica, & nulli Sanctorum Patrum ante cognita. Illis enim paſcere *omnia complectitur, quæ ad Eccleſiæ regimen requiruntur.*

Num. 5.

Erit igitur amplificatio quædam oratoria illa Bernardi; dum ait ad Eugenium Papam. *Paſtorum tu vnus omnium Paſtor.*

Nimis leuiter conatur declinare autoritatem S. Bernardi, cùm ex libris eiuſdem apertè conſtet mens Bernardi.

Ibidem.

Omnes proculdubio Petro aſſignantur oues, ad quaſcunq; acceſſerit.

Propoſitio fraudulenta, ſub qua videtur author tegere hæreſin illam, quod S. Petro non ſint commendati tanquam oues, niſi ad quos perſonaliter acceſſit.

Ibidem.

Ibidem.

Quamuis poſſet aliquis aſſerere, vt mox dicam, oues quæ eſſent tunc ouilis Chriſti fuiſſe propriè oues Chriſti, quas Petro commendabat: oues nimirum illas, de quibus dicebat Chriſtus: non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt, domus Iſrael.

*Expoſitio hæretica, quatenus indicat ſolos Iudæos S. Petro tanquam oues fuiſſe commendatos, repetita inferiùs num.*10

Num.6.

Myſteria quæ alij venantur in verbis: *Paſce agnos meos*, ſiue ouiculas & oues vt Bellarminus, à me contemnuntur in propoſita de primatu Petri quæſtione.

Nihil mirum, quia neq; ouis es neq; agnus.

Ibidem.

Illos tamen probare non poſſum, qui verbis illis: *Paſce oues meas*, Petro etiam ipſorum Apoſtolorum curam cenſent à Chriſto fuiſſe commiſſam.

Propoſitio hæretica, quatenus indicat Romanum Pontificem non fuiſſe ſemper caput Eccleſiæ: & ſimul calumnioſa, quatenus indicat S. Bernardum alioſque multos hac in re fuiſſe deceptos, neque negotium hoc exactè diſcuſſiſſe.

Num.7.

Impropriè quibuſdam pro vno Paſtore vnius ouilis, Petrus intruditur loco Chriſti.

Calu-

Calumnia in autores quos citat, nemo enim Petrum intrudit, quem Christus suo loco constituit, neque Petrus eo gradu Vnus Eccesiæ Pastor, quo Christus.

Num. 8.

Cur igitur Petro soli seorsim ab alijs tamen coram alijs dicitur in particulari: *Pasce oues meas?* Iam itaque necesse est rursus, vt mysteria quæramus.

Vera confeßio auctoris, qui ideo debet mysteria quærere, quia non vult sensum literalem Catholicorum recipere. Mysteria autem quæ allegat, tantum abest, vt primatui B. Petri repugnent, vt clarius eundem explicent, & vicißim per eundem explicentur, vnde inanis illa eiusdem conclusio infra. num. 13.

CAPVT IX.

Pensitatio phalerarum, quibus Petri Primatus prætensus solet exornari.

Titulus scurrilis, in verbo phalerarum, *ac simul hæreticus, in verbo* prætensus.

Num. I.

Nam alijs (Apostolis) etiam Christus nomina & cognomina mutauit, siue addidit.

Propositio falsa: nam per Christum addita quidem alijs cognomina, non tamen mutata nomina.

Num. I.

In hoc ergo, quod Petrus ætate, vocatione & feruore

feruore alios superauit, & proinde in familiaritatem singularem à Christo assumptus, eiq; propterea à cæteris honor magnus delatus fuerit, totum Petri Primatum ponimus & agnoscimus.

Repetitio hæresis in verbo, totum

Num. 5.

Et Augustinus in Psal. 108. nihil illustre promitti aut dari Petro admittit, nisi quod ad Ecclesiam totam referatur.

Abutitur his B. Augustini verbis frequentissimè autor: sensus enim est, quod promissio facta Petro, & dignitas ei collata, non sit merè personalis, quod est directè contrarium doctrinæ autoris.

Num. 6.

Errabant ergo Apostoli, dum inter ipsos aliquem à Christo iam institutum putabãt, qui cæteris despoticè, & cum absoluto dominio præesset, huncq; Petrum esse, suspicabantur.

Malè exponit errorem Apostolorum, consistebat enim error, quod putarent regnum Christi temporale futurum.

Num. 7.

Sed sicut non solus Petrus fuit Ecclesiæ fundamentum, sed æquè omnes Apostoli, ita neque solus Petrus intelligi poterit Ecclesiæ Magister, & Gubernator, quãuis illius nauis singularis solus Petrus Dominus fuerit, Petro non dedit cl[...]uum, sed suum, vt cæteris Apostolis, remum.

Propo-

Propositio hæretica, quatenus negat solum Petrum Gubernatorem supremum Ecclesiæ extitisse.

Num. 8.

Non ad Petri exaltationem, sed depressionem potius orationem illam Christi (ego pro te rogaui, &c.) pertinere.

Propositio erronea, contraria sanctorum Patrum expositioni, & in B. Petrum iniuriosa.

Ibidem.

Neque Theophylactus adeo rudis censendus est fuisse, vt nescierit in diuinis scripturis Petrum solum non fuisse post Christum Ecclesiæ petram & fundamentum.

Censura imprudens, sentit enim Theophylactus in verbis citatis, cum Catholicis omnibus, Petrum ita fuisse Ecclesiæ petram *post Christum, vt alii non fuerint petræ eodem modo, imò nec petræ in scriptura vocentur, nisi author fortasse ita sit eruditus, vt poßit aliquem locum proferre.*

Num. 19.

Interdum vbi Chrysostomus orationem auream suam exuberare permisit, plurimum inclinare videri potest in supremum Petri principatum: oratoriè potius quam Theologicè, quod singulariter fecit considerans hanc primam Petri actionem post Christi ascensionem. Sed ne hic quidem adeò absolutè Chrysostomus Petrũ pronunciat Principem, quin simul ferè contraria

multa interſerat, vt facile liqueat pompam tantum & apparatum orationis adhiberi.

Familiare Authori effugium, qui maluit in Chryſoſtomo, Leone, Bernardo, aliisq́ ſanctis Patribus, teſtimonia de primatu B. Petri eleuare, tanquam parū Theologica, non auſus dicere falſa, quam in eisdem primatum cum ſanctis Patribus agnoſcere.

Ibidem.

Alia quoque Chryſoſtomi verba ibidem poſita conſideremus. Meritò, inquit, primus omniū authoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu. ad hunc enim dicit Chriſtus: Confirma fratres tuos. Ecce iam rurſus videtur ſibi contrarius.

Audax & contumelioſa cenſura, neq́ enim Chryſoſtomus ſibiipſi, ſed M. Antonio contrarius eſt.

Ibidem.

Dum verba illa: Confirma fratres tuos, ad præſens negotium applicat Chryſoſtomus, Rhetoricè non repugno: Theologicè tamen obſtat.

Ridiculum gloſſema: in quo Author vt Rhetor, Catholicus fit, & approbator Monarchiæ Eccleſiaſticæ; vt Theologus verò, manet hæreticus.

Num. 21.

Qui omnium Paſtor fuit à Domino inſtitutus, ex omnib. nationibus cogere cœpit oues, docuit eos fidem ſimul.

Reſtri-

Restrictio fraudulenta, qua aliquoties hoc capite sanctorum Patrum, de primatu B. Petri testimonia conatur elidere, vt patet infra num. 16. vbi allegat verba S. Ambrosij, & cap. 10. num. 13.

Num. 25.

Quod verò Theodoretus dicat, à Petro voluisse Paulum instrui, videat quàm sit conforme hoc diuinæ scripturæ.

Inepta Theodoreti taxatio, repetita etiam num. seq. contra B. Hieronymum.

Num. 26.

Sed in epistolis solet Hieronymus sequi, præsertim iunior, sensus allegoricos, non sine literæ interdum læsione. Feruor enim disputationis & dissensionis scripturalis cum Augustino, super reprehensione Petro à Paulo facta, facilè Hieronymum traxit, vt plurimum Petro tribueret, & ei Paulum submitteret.

Impudens censura in S. Hieronymum, præsertim in verbis illis: non sine litteræ læsione; *cui similis altera, quam statim subdit,* feruor enim ' &c.

Num. 27.

Totus profectò in eo est Paulus, vt fideles nullum sibi hominem, tanquam caput adscribant, sed omnes à quocunque Magistro fuerint edocti, solum Christum tanquam caput agnoscant.

Propositio erronea, siquidem eatenus solum Corinthios compescit Paulus, quatenus ipsi inter se schismata propter diuersos Pastores & capita excitabant.

Ibidem.

Ita Augustinus in nostri temporis *Petrianos.*

Inaudita detorsio verborum S. Augustini, & in omnes Catholicos iniuriosa; nemo enim Catholicus vnquã appellatus Petrianus, *nisi à M. Antonio, qui videtur sperare à nomine suo Antonianos, Mali corui, Malum ouum.*

Num. 28.

Hinc facilè mihi persuadeo illam propius accedere ad fabellam, quam ad sacram historiam.

Temeraria censura.

Ibidem.

Neque video Apostolos baptismo indiguisse, quos Dominus priuilegio singulari, etiam sine baptismo aquæ, spiritu suo egregiè emundauerat.

Propositio temeraria communi Doctorum sententiæ & historiæ contraria.

Num. 29.

Si mitterentur à Christo immediatè, certè essent Episcopi, sicut etiam si mitterentur cum plena potestate Ecclesiastica ab habente authoritatem, ad plebem proprium Episcopum non habentem.

Propositio erronea, impropria, & si secundum verborum proprietatem spectetur hæretica; nam si sola Christi missio facit Episcopos, etiam septuaginta duo discipuli fuissent à Christo missi Episcopi, quos concorditer Patres docent fuisse Presbyteros.

Num.

Num. 31.

Quid ſi ſedes illa aut magis aut non minus dicenda ſit ſedes Pauli?

Magna authoris ignorantia, cùm nemo vnquam Romanum Pontificem B. Pauli ſucceſſorem appellarit, ſed Petri.

CAPVT X.

Primatum Petri Patres aſſerentes producuntur, & explicantur.

T*Itulus falſus in verbo,* explicãtur: *generatim enim circa hoc caput obſeruandum, authorem ita commento ſuo indulgere, vt teſtimonia, quæ obſtant, ſuppoſititia dicat, vel Patres tanquam dormitantes aut adulantes citet, aut cum honeſtiſsimè loquitur, Rhetoricè non Theologice ſcripſiſſe dictitet, vel tandem quomodocunque detorqueat.*

Num. 10.

Hæc tamen encomiaſtice dicta ſunt ex ſolis verbis Euangelicis, non ex ſententia, quam verba Euangelica contineant, eruta & amplificata.

Cenſuimus ſimilem locum cap. 9. num. 19.

Ibidem.

Sed neque Damaſcenus eſt tantæ authorita-

tis, vt inter recentiores, aut dormitantes aut adulantes, non possit interdum reponi.

Propositio iniuriosa.

Num. 13.

Origenes etiam inter Apostolos perfectam posuit æqualitatem.

Propositio falsa in verbo, perfectam.

Num. 14.

Non igitur mireris quod Chrysostomus Petrum Ecclesiæ caput, & Pastorem dixerit, quia enim primus Apostolorum erat, & quasi omnium Procurator assumptus & institutus, & adeò diligens ac solicitus in Euãgelica prædicatione; hinc solet à sanctis Ecclesiæ caput appellari.

Propositio erronea, & quatenus negat verum Petri primatum, hæretica.

CAPVT XI.

Primatum inter Apostolos, & à diuina scriptura, & à Patribus reprobari.

Titulus hæreticus, & toto capite fastidiosa repetitio ineptiarum superiorum, cum maledicentia in Beatum Petrum.

Num. 2.

Sed medicina, quam huic discipulorum morbo sem-

bo ſemper adhibet, eſt negatio abſoluta cuiuſcunque Principatus.

Propoſitio hæretica in verbo, cuiuſcunque.

Num. 4.

In eo totus ſemper fuit Chriſtus Dominus, vt in eorum mentibus imprimeret prælaturam Eccleſiaſticam, ad quam eos vocauerat, totam in ſolo & nudo Miniſterio & ſeruitute conſiſtere.

Repetitio hæreſis ex cap. 2. quam hic frequentius inculcat.

CAPVT XII.

Reipublicæ Eccleſiaſticæ formam in terris non eſſe Monarchiam, ſed potius Ariſtocratiam.

Titulus hæreticus, cuius aſſertionem num. 1. & ſequentibus probat ex noua hæreſi.

Num. 5.

Articuli Ioannis Hus, etſi aliquid ſimile contineant cum meis aſſertionibus, tamen non ſunt legitimè damnati.

Propoſitio falſa & in Concilium Conſtantienſe contumelioſa.

Item eodem.

Doctrina tamen in eis contenta,[nimirum in Ecclesia nõ dari vnum caput ſupremum,& Monarcham præter Chriſtum: Chriſtum ſuam Eccleſiam per multos miniſtros, ſine vno Monarcha morali, regere perfectè & gubernare;]eſt Doctrina,Catholica à ſanctis Patribus hactenus egregiè explicata & confirmata.

Propoſitio,quoad ſingulas partes, hæretica.

Num. 6.

In hac Eccleſia militante quęrere& indagare, veram aliquam formam reipublicæ,eſt actum agere: procedimus enim ſemper ex falſa quadam ſuppoſitione; quæ ſuppoſitio ſua plurimum nos turbat falſitate.

Propoſitio hæretica.

Ibidem.

Supponimus enim Chriſtum ab Eccleſiæ ſuæ regimine abſentem;&eo excluſo quærimus,quę forma maneat in Eccleſia.

Propoſitio falſa in verbo eo, excluſo.

Num. 9.

Modo etiam tota multitudo concurrit actiuè & executiuè ad aliquem excommunicandum.

*Propoſitio hæretica in verbo,*actiuè: *Cui ſimilis quæ ſtatim ſequitur:*

Ean-

Eandem præterea multitudinem nonnihil poteſtatis habere interdum, circa peccatorum remiſſam, ex Patribus, eodem libro.

Item eodem.

In vera ſæculari Democratia, plebs nullam tribuit ſuis Rectoribus, quos ipſa elegit, & ſibi præficit, poteſtatem.

Propoſitio erronea & principijs moralibus repugnans.

Item eodem.

Cum Apoſtolo docebo totam Eccleſiam eſſe columnam, & hanc Eccleſiam totam non eſſe in ſolis Epiſcopis & Presbyteris, neque Spiritum illum, quem Chriſtus ſui Vicarium relinquebat, in terris alligatum eſſe ſoli ordini Presbyterorũ aut Epiſcoporum.

Propoſitio partim hæretica partim fraudulenta; indicat enim in definitionibus Conciliorum, plebem & habere votum deciſiuum, & Apoſtolum eodem detorquet.

Num. 12.

Illa omninò forma regiminis in Eccleſia erat optima futura, cæteriſque præſtantior, quam Chriſtus inſtituiſſet, cùm ea fuerit ferè Ariſtocratica, eam omninò aliis præſtare in Eccleſiæ regimine neceſſariò eſt fatendum.

Ex falſa & hæretica hypotheſi, infert falſum.

Ibidem.

Si quid incommodi habet Ariſtocratica, cui

Monarchia facilè possit obuiare; Ecclesiam Spiritu Christi instructam, propterea & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam, & in se totam Aristocratiam, vt altera alterius vitia corrigeret.

Propositio hæretica & schismatica, quatenus asserit regimen vniuersalis Ecclesiæ esse Aristocraticum.

Num. 13.

Est quidem vnica tantum Ecclesia, non quidem collectione numerali, quia sic multæ sunt, sed fide, charitate, & sacramentis.

Enumeratio insufficiens, in qua omittitur, vnitas Pastoris.

Num. 20.

Hierarchiam & subordinationem inter Episcopos, ab ipsamet Ecclesia, solo iure humano Ecclesiastico ad vitandas cõfusiones esse introductam.

Propositio hæretica, si inter Episcopos etiam comprehendat Romanum, cui similis est, quæ sequitur in verbis, supra se alias sedes non haberent. Hæc enim subiũgit. Ecclesia primas sedes, quæ supra se alias sedes non haberent, fecit plures sedes Patriarchales.

Num. 21.

Romanos verò Pontifices in partibus terræ occiduis tantum, & non in aliis, sed neque solos, hanc olim fecisse fidei propagationem facilè concesserim.

Propositio indicans maximam in authore ignoranti-

am historiarum, cùm Romanus Pontifex in Oriente & Meridie, seu Asia & Africa hæreses sæpissimè damnarit, lapsos in hæresin reconciliarit, Patriarchas exautorarit.

Num. 22.

Supremum iudicium, & supremam decisionem fidei, penes concilia semper, approbante deinde tota Ecclesia, fuisse.

Propositio hæretica in verbis illis, approbante deinde. *Indicat enim decisiones Conciliorum esse incertas vsque ad plebis approbationem, easq; infallibiles, etiamsi à Romano Pontifice non confirmentur.*

Num. 41.

Apellatio ad plebem in iudiciis propriis Ecclesiasticis, potest interdum cōtingere, vt si quis tanquam hæreticus ab aliquo vel aliquibus Episcopis condemnaretur & excommunicaretur, posset is suam doctrinam hæreticam reputatam, iudicio totius Ecclesiæ supponere, iterum eorũ iudicio pensitandum, & ab illa veritatis approbationem confirmationemque exspectare.

Propositio hæretica & schismatica, quæ ianuam aperit omnibus hæresibus.

Ibidem.

Leges Ecclesiasticæ cùm non sint de rebus fidei fide credendis; sed de rebus agendis, vt de ieiunijs, de nouorum festorum institutione & similibus, à populi acceptatione plurimùm pendent; si enim eas respuat populus, nō obligant.

Propo-

Propositio hæretica & schismatica, quæ ianuam aperit omni rebellioni & inobedientiæ.

Ibidem.

Leges Ecclesiasticæ, si sint fidei definitiones, vltimum earum iudicium est penes totam Ecclesiam, & tunc tandem aliquid fide credendũ est, quando tota Ecclesia consentit.

Propositio hæretica & schismatica, qua quilibet posset hæresim suam excusare ab hæresi.

Ibidem.

Accusatio Prælatorum, si sit de criminibus personalibus ciuilibus, ad Ecclesiam illa non spectabit, nisi ex humano priuilegio.

Propositio erronea, repugnans Ecclesiasticæ immunitati.

Ibidem.

Leges Ecclesiasticæ si sint de Ecclesiasticis, & præsertim de fide, potest iudicium earum ad totam Ecclesiam delabi, non ad effectum punitionis personæ, nisi per solam exclusionem à communione vniuersali, sed ad effectum damnationis doctrinæ.

Propositio hæretica, negans Ecclesiæ potestatem puniendi hæreticos pœnis temporalibus; & erronea circa enumerationem pœnarum Ecclesiasticarum.

Ibidem.

Vera excommunicatio vniuersalis, à tota Ec-

clesia vniuersali fit, quando omnes prorsus Ecclesiæ suam alicui negant communionem.

Inepta definitio excommunicationis; id enim quod author ponit, ad executionem excommunicationis pertinet.

Num. 42.

Deus spiritum suum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis personis, siue certo generi personarum, putà solis Presbyteris, aliisue Clericis ad ministeria Ecclesiastica deputatis.

Propositio hæretica, si loquatur de spiritu Dei, *vt datur hominibus ad ordinarium Ecclesiæ regimen.*

Ibidem.

Et consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo non minùs intelligitur in Laicis, quàm etiam in Presbyteris & Prælatis.

Propositio hæretica & schismatica, cui similis illa quæ sequitur: Sicut etiam Laici in Ecclesia imò ex Ecclesia, ipsiusque solidam & maiorem partem cōstituunt. *Intendit enim author regimen Ecclesiæ non minùs esse penes Laicos, quàm Ecclesiæ Prælatos.*

Num. 43.

In quolibet regno, Rex possit meritò in bono esse caput, id est, supremus Gubernator Ecclesiæ totius regni ipsius.

Propositio hæretica & schismatica, inducens in Ecclesiarum regimen Laicum; præcipuè in vocibus: suprem⁹ Gubernator.

Ibidem

LIB. II.

Proœmium.

IN hoc proœmio post superbam recapitulationem hæresium superioris libri, num. 2. & 3. habitarũ, mordaciter & calumniosè taxat Ecclesiam Romanam.

Num. 4.

Concordiam non multi antè ediderunt ij, qui Ltherũ sunt secuti: in qua etsi tenacius adhuc suas aliquas videntur fouere opiniones; si tamen charitas illa, quæ patiens est, & benigna, & quæ nõ quærit quæ sua sunt, illam Concordiam Lutheri benignè & patienter excepisset; egregiam, meo iudicio, nacta fuisset occasionem negotium hoc tam turpis, & inueteratæ dissensionis ad pacem & veram concordiam reuocandi.

Temeraria & indigna laus Lutheranæ Concordiæ, qua hæreticis fauendo, eosq; laudando, author se hæreticum, & hæresis Lutheranæ fautorem prodit.

CAPVT I.

Num. 3.

QVoscunq; igitur Apostoli, siue omnes, aut plures vniti; siue singuli eligebant, & ad Ecclesias regendas mittebant, ij proculdubio *parem* cum ipsis Apostolis potestatem accipiebant, si vim ipsam institutionis spectemus. Quicquid enim potestatis *ordinariæ*, ad regimen Ecclesiæ necessariæ, ipsi accipissent, id totum in Episcopos ab se ordinatos transmittebant.

Propo-

Repetitio hæreseos num. 3. commemoratæ.

Num. 11.

Cùm ipsius potestas nulla esset, quę ad ipsum solum seorsim & separatim ab alijs Apostolis accepta spectaret, nullum etiam hoc pacto suum specialem potuit habere successorem.

Consequẽtia hæretica, ex antecedente hæretico illata.

Num. 12.

Alij etiam Episcopi, præter Romanum, Petri dicuntur successores.

Locutio impropria, & ad sensum Authoris hæretica; ad cuius probationem statim PP. peßimè detorquet, ac hæresim eandem repetit his verbis: Omnes ergo Episcopi idem sunt quod Petrus, & ei succedunt; & Petrus idem fuit, quod nunc omnes Episcopi.

Num. 13.

Episcopi dicuntur Apostolorum successores, quia in eorum officio, quod erat Apostolorum omnium cõmune, succedunt omnes omnibus in solidum.

Explicatio hæretica, quàm neq; ex scriptura vnquã, neq; ex Patribus Author probabit.

Num. 14.

Apostoli enim non erant singulares Episcopi vllius loci determinati.

Propositio falsa, indicans Authoris pertinaciam vel

ignorantiam: cùm constet ex Patribus & historijs, multos Apostolos certas sibi Episcopales sedes delegisse.

Num. 15.

Non negamus Petrum fuisse vniuersalem totius Ecclesiæ pastorem in habitu.

Propositio fraudulenta: quâ Author ita concedit Petro vniuersale regimen in habitu, vt negare posit eum id habuisse in actu.

Ibidem paulò pòst.

In hac potestate vniuersali, succedunt Episcopi, non modò vniuersi, sed etiam singuli.

Repetitio hæresis.

Ibidem prope finem.

Nihil minus vniuersalem regit Ecclesiam in fide & Christiana institutione, successio Episcoporum, Corinthiorum, Philippensium, Ephesinorum, Sardicensium, &c. à Paulo, à Ioanne, & reliquis; quàm successio Romanorum Pontificum à Petro.

Repetitio hæresis.

Num. 16.

Vides omnes Episcopos omnibus in communi Apostolis, vnius magni nominis Romani Pontificis confessione succedere. (Et infrà num. 17. sequenti) quantum Romani Episcopi Petro succedunt, tantum & nihil minus, Corinthij Paulo.

Propo-

Propositio in se quidem vera, hæreticè tamen & iniuriosè ab Authore detorta, ad probandam successionem in plenitudine potestatis, cuius B. Cælestinus nec verbo meminit.

CAPVT II.

Num. 3.

Ordinis ego potestatẽ intelligo nunc ad conficiendam Eucharistiam, & sacrificij in cruce per Iesum Christum peracti memoriam celebrandam.

Meminisse debebat Author, quod in quæstione sua non quæsiuerit præcise, quãdo Apostoli facti fuerint Sacerdotes, sed quando facti fuerint Episcopi, adeoq; dum non explicat ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, vel non respondet ad quæsitum suum, vel nullum agnoscit discrimen quoad Ordinem inter Episcopos & Sacerdotes; quod est hæreticum, & videtur ad mentem Authoris, dum statim concludit num. eodem : Atque ex hac vtraq; potestate, completur plenè totus & integer ordo Episcopalis.

Num. 4.

Sunt in Apostolis vnum & idem essentialiter, Apostolatus & Episcopatus.

Propositio hæretica.

Num. 5.

Vanissimus redditur totus conatus Ioannis de Turrecremata.

Propositio vana & superba; cum M. Antonius in r graui nullos citet Authores: Turecremata; multos.

Ibidem.

Totius huius vanitatis fundamentum fuit dictum quoddam ficti illius Anacleti.

Propositio erronea & contumeliosa.

Num. 9.

Areopagita totam Matthię electionem, in diuinam solam confert vocationem.

Propositio falsa & erronea in vocula, solam.

Num. 10.

Rudis tamen est, qui non intelligit ordinationem hic ab Hieronymo vocari, compositionem illam, qua de communi consensu, datis dextris, curam potissimam conuertendarum Gentium assumpsit Paulus cum Barnaba, relicta Petro, Iacobo, & Ioanni circumcisione.

Expositio erronea & censura rudis.

Ibidem.

Veram tamen ordinationem in ea segregatione non agnoscit, *scilicet Leo.*

Contrarium patet ex ipso Leone, epist. 79.

Num. 11.

Errant profectò toto cœlo, quicunq; Paulum & Barnabam verè & propriè ordinatos etiam in Episcopos, tunc putant. *Cen-*

Censura temeraria.

Ibidem.

Quid verò facit Episcopũ magis quàm missio?
Repetitio hæresis.

Num. 49.

Adde reliquam totam antiquitatem sic sentientem.
Propositio vana & falsa, iactat enim consensum antiquitatis, sed non probat.

Ibidem.

Considera neque virginitatem in vllo tunc precio fuisse.
Propositio stupida & insulsa: Erat enim etiam tunc virginitas in tanto precio apud Deum, vt de virgine nasci voluerit.

CAPVT III.

Num. 30.

ESse verò munera Episcopalia, & Presbyteralia, excepta ordinatione ministrorum, omnia communia, etiam vidimus asseruitque Hieronymus.
Statim indicat, non esse absolutè verum quod dixit: excepta ordinatione, *his verbis, eodem in fine:* Additur verò prætereà Episcopis potestas quędam externæ iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Num. 50.

Ita Bellarminus. Sed non satisfacit hæc responsio, neque stare potest.

Expositionem Bellarmini malè intelligit, peßimè censet & impugnat.

Num. 54.

Nec in hoc Concilio illi Prouinciali assentiendum, quia iure diuino solis Apostolis, Apostolorumque proprijs successoribus, ministrorum ordinatio conceditur.

Magnus maledicendi amor in Authore, cùm Concilium non neget Episcopis solis iure diuino competere consecrationes sacerdotum.

CAPVT IV.

Num. 3.

MVlta sanè & ea grauissima testimonia habemus in Ecclesia Catholica, quæ in sacris Ecclesiasticis ordinibus veram sacramenti propriè dicti rationem non agnoscunt.

Propositio hæretica generalibus Concilijs contraria, & SS. Patrum sequentibus testimonijs nullo modo probata.

Num. 5.

Comparatio verò illa Episcopi indigni indignè ordinati, cum Chore, Dathan & Abiron, qui

qui fuerunt meri vſurpatores ſacerdotalis officij & nequaquam ſacerdotes, nonne ſatis oſtendit Cyprianum in ordine opus operatum non agnouiſſe?

Cypriani violenter detorta expoſitio.

Eodem in fine.

Separabilis ergo eſt & honor ſeu dignitas Epiſcopalis, quoad exercitium; & ipſamet poteſtas quoad ordinem, ab Epiſcopo etiam legitimè ordinato, ſi fecerit ſchiſma, & vinculum abruperit charitatis; nec poteſtatem, inquit, poteſt habere, nec honorem; non dicit exercere. Vbinam igitur ordinis character indelebilis?

Conſequentia planè hæretica ex Cypriano male detorta.

Num. 6.

Sed Dionyſius etiam Areopagita nihil arbitratus eſt efficere ordinationem in homine illiterato, & ad docendum inepto.

Propoſitio in S. Dionyſium iniurioſa, ſicut & ſequens eodem num. 6. Ordo igitur, ex Dionyſio per modum Sacramenti neque confertur, neque operatur.

Ibidem.

Et hominis inſcitia atq; inhabilitas ad docendum, & ad propugnandam fidem, reddit ipſum, ſi Dionyſiũ ſequamur, ſacri ordinis incapacẽ: vt perinde ſit hominem illiteratum, hoc eſt, in ſacra

ſcriptura, ac neceſſaria Theologia imperitum, in Epiſcopum conſecrare; atque ſi quis tentaret; non dicam brutum aliquod, & ſtolidum animal, ſed mulierem, in Epiſcopali Cathedra collocare.

Bruta & ſtolida comparatio, qua ſubiectum ordinum ſacrorum capax, cum non ſubiecto comparatur.

Eodem prope finem.

Ita Epiſcopus ſine doctrina ſacra, & habilitate ad docendum, Epiſcopus eſt duntaxat æquiuocè.

Propoſitio redolens hæreſim Hußitarum.

Num. 7.

Hieronymum habemus adſtipulatorem; qui promotos ad ſacerdotia modis illegitimis, nequaquam cenſuit eſſe verè ordinatos.

Propoſitio in S. Hieronymum iniurioſa, & ex verbis illius falsò collecta.

Ibidem poſt medium.

Gelaſius ſignificat Euchariſtiam à malo inualidè, & non tantum indignè conſecrari.

Propoſitio falſa & iniurioſa in Gelaſium.

Ibidem paulò ante finem.

Planum eſt Ordinationem non eſſe Sacramẽtum, quia effectum non ſemper habet.

Repetitio præcedentis hæreſis.

Eodem

Eodem in fine.

Itaque Leo promotos contra Canones, ordinem censuit non suscipere; non est igitur sacramentum.

Propositio falsa & iniuriosa in Leonem.

Num. 8.

Gregorius Simoniacè ordinatos nihil recipere docuit.

Falsa & calumniosa propositio in S. Gregorium. Similes effutit in Sanctos Patres permultos, à se num. 8. 9. 12. 13. 14. 15. 16. allegatos.

Num. 10.

Ioannes ergo Hus, &c.

Hoc & sequenti numero Hußitarum & VViclefistarum hæresin de Sacramento Ordinis propugnat, defendit, & vt sectarius eiusdem instruit.

Num. 13.

Ex qua Innocentij disputatione adhuc magis liquet, ipsum ordinationes sacras inter vera Sacramenta censuisse non esse numerandas.

Consequentia ex verbis Innocentij malè collecta.

Num. 16.

Vult igitur Chrysostomus etiam non ordinatos à Deo, & malos, ac indignos, validè baptismum conferre, Eucharistiam conficere,

bona docere, ac alia ministeria peragere. Quod tamen spectat ad ordinationem internam, eam à solo Deo peragi, & non omnes qui ab hominibus ordinantur externè, etiam à Deo ordinari internè apertè testatur.

S. Chrysostomum ad nouam quandam internam à se confictam, solius Dei ordinationem iniuriosè, trahit.

Num. 17.

Si in diuina scriptura clarè & manifestè, conceptis verbis, non mysticis neç allegoricis, sed literalibus, & historicis, alicuius Sacramenti ab ipso Christo immediatè, ipsiusmet ore, institutio expressa non habeatur, Magnæ temeritatis mihi videtur arguendus is, qui Sacramenta multiplicet absq; vlla clara diuina institutione.

Propositio fraudulenta ad traditiones aliaq; principia, atque inde dependentia fidei dogmata euertendæ ianuam aperiens.

Eodem circa medium.

De Ordine verò nihil prorsus habemus, quò ipsius institutio ad modum Sacramenti, appareat.

Propositio hæretica & scandalosa Hierarchiæ Ecclesiasticæ iniuriosa.

Et paulò infra.

Nihil tamen ad hoc sensibile præter verba assumpsit, aut præcepit.

Propo-

Propositio hæretica, traditionibus & conciliјs repugnans.

Num. 20.

Ordinationem porro ſacram, modo ſacramentali non peragi, inde præterea ſatis confirmatur, quod Deus peculiarem ſibi reſeruauit concurſum, ad legitimum miniſtrum Eccleſiaſticum inſtituendum, ſine quo miniſter legitimus non ſit: quem tamen ipſius ſpecialem concurſum noluit vlli Sacramento obligare.

Aſſertio hæretica in verbis: modo ſacramentali non peragi. *in reliquis temeraria & inſipida, ſpiritum illum familiarem Nouantium hæreticorum redolens.*

Num. 23.

Quid quod non modo delebilem & amiſſibilem, vt iam oſtendimus, reperimus ſacrum ordinem, ſed etiam iterabilem, num propterea erit Sacramentum imprimens characterem?

Sacrum Ordinem iterabilem eſſe M. Antonius aſſerit, ſed non probat.

Num. 24.

Illud quoque non parum conuincit ordinem non eſſe ſacramentum, quia inextricabiles, & inſolubiles emergunt difficultates, ſi & ordo ponatur verum Sacramentum, &

Epiſco-

Episcopatus ac Presbyteratus duo diuersi ordines esse asserantur, alter superior, alter inferior.

Hæc ratio, qua probare conatur, Ordinem non esse Sacramentum, vana est.

Num. 26.

Non est ergo Ordo verum sacramentum, sed mera ad ministerium deputatio, sine istis characteribus, & impressionibus.

Propositio hæretica, quæ se hæreticorum huius temporis sectarium profitetur.

Num. 28.

Est ergo Ecclesiastica tantùm institutio, non Diuina, vt prius quis Presbyter sit, quam Episcopus.

Propositio erronea.

Num. 30.

Impositio tamen hæc manuum, non potest dici esse cæremonia à Christo instituta, vt in ea consistat ordinis Sacramentum.

Propositio & eiusdem explicatio temeraria.

Num. 31.

Calicis verò & patenæ; ác librorum, aliorumve instrumentorum traditio, est merum Ecclesiasticum inuentum, quod nullo pacto pro materiali talis Sacramenti possit assumi, aut affirmari.

Propo-

Propositio hæretica, Florentino Concilio contraria.

Num. 33.

Quia maximam habet cum vero Sacramento ordinatio similitudinem, licet verum Sacramentum non sit, idcircò Augustinus toties eam Sacramentum vocat.

Expositio S. Augustini, Augustino ab eodem autore num. 34. citato contraria, vbi dicit autore fatente, Ordinationem eodem modo, vt Baptismus, esse Sacramentum.

Eodem post pauca.

Nam si de vero & maximè proprio Sacramento sit sermo, idem Augustinus duo tantùm agnoscit Sacramenta.

Assertio falsa, & in S. Augustinum impudenter calumniosa, hic, & infrà nu. 41.

Num. 37.

Concilium igitur Nicænum & Alexandrinum, Melchiades, Hieronymus & Augustinus, non admittunt indifferenter quoscunque à quibuscunque hæreticis ordinatos.

Limitatio falsa, & sine fundamento excogitata ad hæresin suam stabiliendam, & Patres sibi conciliandos & adsciscendos.

Num. 41. in fine.

Concilia, Florentinum & Tridentinum, aut reue-

reuerenter glossanda sunt de sacramentis in latiori significatione sumptis, aut si glossari recusant, opponetur eis ritè & legitimè, iuxta antiquos Canones, non esse celebrata: neque fuisse verè, & propriè generalia, neque ea fuisse à tota Ecclesia Christi acceprata & approbata: & fortasse ea in multis esse ex Diametro alijs antiquissimis, ac sacrosanctis in tota Ecclesia receptis Concilijs contraria, eorumque destructiua.

Grauis calumnia, & temerarium iudicium Archiepiscopi, qui in sui creatione & alias Conciliorum Oecumenicorum & inprimis Tridentini receptionem iurate promisit.

Num. 44. *prope finem.*

Ex benignitate tamen Dei, non ex efficacia sacramenti, non dubito ordinatis benè dispositis, in ipso actu ordinationis, cũ potestate ordinis gratiã etiam accedere ipsum dignè exercẽdi.

Propositio hæretica.

Num. 45.

Veros sanè ac proprios Ecclesiæ Rectores, Christique ministros, in regenda & gubernanda Ecclesia, esse solos Episcopos & Presbyteros, & nullum alium ordinem à Christo, præter hunc fuisse institutum, iam fecimus euidens & manifestum.

Assertio temeraria & communi Scholasticorum sententiæ repugnans.

Num.

Num. 53.

Itaque primam ego Diaconorum institutionem non dubito fuisse ad hoc tantùm, vt solas mensas communes curarent, ac temporalium rerum gererent administrationem.

Assertio temeraria, ijs, quæ act. 6. de Diaconorum institutione scribuntur & à Patribus traduntur, non satis consentanea.

Num. 59.

Subdiaconatus, qui neque forsitan Apostolis fuit cognitus, sed longè post ab Ecclesia, vt merum officium externum, institutus.

Propositio falsa & temeraria, infrà n. 61. repetita, Ignatio alijsq; SS. Patribus, infrà nu. 63. ab ipso authore citatis contraria.

Num. 63.

Varietas magna in numerandis his officijs: (Ordinum minorũ) arguit eos ordines nõ esse.

Iudicium temerarium.

CAPVT V.

Episcopos suam totam potestatem Episcopalem iure diuino habere in Ecclesia.

Titulus hæreticus hæresi frequenter suprà improbatæ inscriptus.

Num. 16.

Non ergo Episcopi facti ab Apostolis indigebant Petri cõfirmatione: ac proinde Episcopi

etiam

etiam accipiunt omnes, vt Apostolorum omnium successores, eandem plenam mittendi potestatem, cum tota etiam Iurisdictione.

Assertio planè hæretica, suprà frequenter improbata.

Et post pauca.

Patres citati ac præsertim Cyprianus, dum facit Episcopos immediatè Deo soli subiectos, non solùm in actibus ordinis, sed etiam iurisdictionis eos facit subiectos.

Assertio iterum in Cyprianum aliosq; Patres iniuriosa.

Eodem in fine.

Neque indicium vllum est in tota scriptura, vnde colligamus, hanc separationem potestatis iurisdictionis, à potestate ordinis, & vnam tradi immediatè à Deo, alteram non nisi mediante Papa. Quare & solus ordo dat omnem prorsus potestatem, quæcunque Ministro Ecclesiastico, pro regimine Ecclesiæ est necessaria. Quia in Ecclesia non est vlla vera, & propria iurisdictio externa: ex qua sola in Domino Papa immanem illam potius omnipotentiam, quàm potestatem, nostri collocant Doctores Neoterici.

Propositio, quoad primam partem, falsa: quoad secundam & tertiam partes hæretica, quoad postremam in Doctores Catholicos iniuriosa.

Num. 18.

Sed hæ omnes sunt vanæ subtilitates, nullum

lum in ſcriptura habentes fundamentum, quæ & Monarchiam hanc reſpuit in Eccleſia, & ordinationem Miniſtri, internam à Deo immediatè totam, & integram fieri docet: & ſeparationem poteſtatis iuriſdictionis à poteſtate ordinis, non patitur illam ſanè ridiculam, vt alteram Deus immediatè conferat, alteram homo, in vna & eadem actione.

Scriptura Monarchiam non reſpuit: neque ordinationem internam totam à Deo fieri docet, diſcrimen poteſtatum agnoſcit: adeoq; propoſitio M. Antonij hæc hæretica eſt & maledica.

Num. 21.

Quando verò aufertur tota iuriſdictio indigno, per depoſitionem, & ab habente autoritatem, ſiue ſit Papa, ſiue Metropolitanus, ſiue Synodus, tunc reſpondeo etiam ordinem auferri.

Propoſitio plus quàm falſa, & hæretica.

Num. 27.

Epiſcopi verò non niſi in partem ſolicitudinis ſint vocati, meri adiutores Papæ, & conſequenter non niſi eius Vicarij & adminiſtri.

Malè explicat M. Antonius illud : vocati in partem ſolicitudinis.

Num 42. *& vlt.*

Fulmina ipſius ne &c.

Concluſio contumelioſa & ſeditioſa præfationi libri huius ſimillima.

CAPVT VI.

Episcopos omnes æquè Vicarios esse Christi, & in potestate Ecclesiastica inter se iure diuino prorsus æquales.

Titulus omninò hæreticus, quem congestis Patrum testimonijs, suaq́; expositione detortis aut deprauatis non probat.

Num. 3.

Ex institutione Episcoporum, ex successione Apostolica, ex potestatis paritate, omnes simul Episcopi in solidum, etiam cum Papa, sunt Vicarius ille Christi generalis, singuli verò sunt, æquè etiam cum Papa, Vicarij Christi, in particularibus suis Ecclesijs speciales.

Hæretica propositio: omnes enim sunt Vicarij, sed non æquè cum plenitudine potestatis vt Papa.

Num. 13.

Duo, inquit, erant Episcopi eminentissimarum Ecclesiarum: eminentissimam Romanam Ecclesiam vocat, sed eminentissimam etiam Carthaginensem: vtraque eminentissima, ergo pares.

Ridicula & inepta argumentatio.

Num. 16.

Sed dicat mihi noster hic Deus ridiculus, seu

Vice-Deus, si nemo præter ipsum potest Episcopum ab vna Ecclesia ad aliam transferre.

Propositio contumeliosa in Romanum Pontificem, cui M. Antonius immeritò irascitur, quod Innocentius Tertius se nominauerit Dei Vicarium, & dixerit se non tanquam hominem, sed tanquam Deum Episcopos transferre posse: quia reuera Innocentius & quilibet Romanus Pontifex Christi Dei in terris Vicarius est, & auctoritate supernaturali, adeoq́ diuina participata, munus sibi creditum exercet. Glossæ quoque, quod Papam alibi Deum vocat, facilè ignouisset, si diligenter legisset scripturam, quæ non solum Mosen, sed quoslibet Iudices, Prophetas &c. Deos nominat, abstinuissetq́ à calumnijs, quas scurrili quadam licentia hic in primis, totiusq́ tractatus sui decursu, passim in Romanos Pontifices effundit.

CAPVT VII.

Episcoporum potestatem certis locis Diuino iure non esse arctatam.

Titulus hæreticus in sensu M. Antonij, qui hoc capite conatur astruere, omnes Episcopos iure diuino parem & plenam potestatem in totam Ecclesiam habere, idq́ exemplis omninò impertinentibus confirmare prætendit.

Num. 2.

Cùm autem negare tales Ministros (nẽpe qui

possint in regiones, in quibus vel nunquam prædicatum, vel extinctum fuit Euangelium excurrere) Ecclesiæ post Apostolos, sit absurdum, necessariò Episcopalem ordinem de se potestatem excurrendi habere est dicendum.

Consequentia hæretica, malè ex antecedente illata. Nam ad hoc vt tales sint ministri, sufficit quod possint habere potestatem illam à Papa, cui totius orbis cura commissa est.

Num. 4.

In sacerdotio Dei nullam ait esse diuersitatatem, hoc est, ordinem sacerdotalem nimirum Episcopalem, quatenus est à Deo, non admittere has diuersitates, vt vnus Episcopus non nisi in certis locis ministret.

Mala expositio verborum Epiphanij.

Num. 26.

Hos itaque Episcopos ego, ne ordinem quidem Episcopalem vllum accipere arbitror: quia ordo Episcopalis intrinsecè dicit officium, opus & ministerium.

Propositio hæretica in Hussitis & VViclefistis damnata.

CAPVT VIII.

Num. 1.

HAnc itaque potestatem actu ipso in Ecclesia per multa sæcula; etiam in nouis creandis Episcopis, à priuatis etiam Episcopis, sed potissi-

potissimum à Metropolitanis exercitam fuisse, hoc capite suscipio confirmandum.

Assertio quam suscipit confirmandam falsa est, nec eam solidè confirmat.

Num. 3.

In Poloniam prima Euangelij prædicatio inducta est per Adalbertum Pragæ Episcopum, qui sua propria Episcopali autoritate, non quidem misit alios, sed ipsemet profectus est, ibique nouam Christo Ecclesiam peperit.

Propositio falsa.

Num. 5.

Si verò voluit *Adrianus* prædicationem hanc nemini licere, sine ipsius consensu & facultate, rem dixit intolerabilem, cui aduersatur Euangelium, aduersatur & Ecclesiæ praxis vniuersalis: & tot exempla quæ produxi.

Imò Adrianus rem dixit veram, cui nec Euangelium nec Ecclesiæ praxis nec exempla producta aduersantur.

Num. 13.

Nunc verò dico Romanam Ecclesiam, *& post pauca*. extra ius diuinum habuisse, vt semper reputata sit Ecclesia principalis: *ibidem post nonnulla:* neque Augustinus, neque vllus ex antiquioribus Patribus, summam Ecclesiasticarum rerum, in Romana Cathedra posuerunt. Erat ergo & est Ecclesia præcipua, nobilitate, existimatione, nominis & dignitatis autoritate, non regiminis & iurisdictionis Principatu.

Propositio, in verbis: extra ius diuinum, & non regiminis & iurisdictionis Principatu *hæretica*; *In verbis autem*: neque Augustinus, *mendax*.

Num. 15. *finali.*

Habuit id muneris Romanus Pontifex primùm iure diuino, non vt Romanus Pontifex, sed simpliciter vt Episcopus: & ideo solus id muneris non habuit, sed æquè Episcopi etiam alij, vt vidimus, munus hoc exercuerunt. Deinde habuit id potissimum iure etiam Ecclesiastico, tanquam Patriarcha primus & maximus inter cæteros, solusque in toto Occidente: non quidem vt ipse solus, sed vt ipse præcipuè hoc munere fungeretur.

Assertio partim orthodoxæ fidei, partim historicæ veritati contraria.

CAPVT IX.

Num. 1. *in principio.*

Ita quidem posuimus ordinem Presbyteralem ab Episcopali diuersum, vt tamen in essentialibus, quæ spectant ad Ecclesiastica ministeria erga fideles populos exercenda, Presbyteri Episcopis sint penitus æquales.

Propositio fidei Catholicæ repugnans.

Num. 3.

Quia nimirũ hæc omnia (inter quæ est Chrisma conficere) ex vi ordinis licebãt Presbyteris.

Pro-

Propositio falsa.

Num. 5.

Presbyteros iure diuino non minorem habere in pascendo populo Dei potestatem, quàm nos habeamus. Et si quam iurisdictionem ampliorem externam, & non propriè Ecclesiasticam in illos exercemus, illam non ex nostra propria, sed ex delegata à Principibus laicis potestate exercemus.

Propositio vtraque parte hæretica.

Num. 7.

Inanis & puerilis est distinctio moderna inter Canonicos sæculares & regulares, &c. cùm tam regulares, quàm irregulares, qui nunc sunt, sint verè irregulares, & à Canonici vera significatione alienissimi. *Et paulò pòst*: Ij verò qui Canonicos se vocant regulares, cũ à subiectione & obedientia Episcopi se subtraxerint, & potius cum schismate Ecclesiam contra Ecclesiam erigant, & publicæ Ecclesiæ loci in quo degunt nihil ex sua institutione inseruiant, neque Canonici erunt, neque regulares.

Irregularis censura M. Antonij.

Num. 9.

Ita Presbyteri Parochi, iure similiter diuino, totam Presbyteralem accipiunt potestatem, non modò pro tota diœcesi, siue Ecclesia, in qua sunt Presbyteri Canonici ordinati, sed etiam pro tota Ecclesia vniuersali.

Hæreticæ propositionis suprà num. 1. improbatæ ampliatio.

Num. 12.

Tantum igitur abest vt Clerus Romanus sua sede vacante, curam gesserit aliarum Ecclesiarum, præsertim Africanarum, quod contendit Baronius, vt etiam ipsemet rectus, aut saltem directus fuerit à Cypriano.

Propositio falsa, historicæ veritatis ignorantiam in auctore manifestans.

CAPVT X.

Sacros Ministros ad cœlibatum iure non teneri.

Tituli Inscriptio hæretica, traditionibus Apostolicis & Oecumenicis Concilijs contraria, quam M. Antonius hoc capite Decretorum, Conciliorum, SS. Patrum & Historiarum auctoritatibus mala expositione detortis probare nititur, sed non probat.

Num. 16.

Ideoque sexta Synodus, hoc est, Patres Trullani, vxores permittunt Presbyteris.

Propositio falsa, sexta enim Synodus nullos Canones constituit. In Trullo celebrata Synodus, illegitima est, quantumcunque fremat contra M. Antonius infra nu. 59. & sequentibus.

Num. 19.

Siricius igitur, si quid in hoc genere statuerit. meritò primus ponendus est, qui hanc Clericorum omnimodam continentiam in toto Occidente seruandam curarit.

Propositio falsa. Num.

Num. 20.

Hic profectò Canon nihil plus quàm Siricius ſanxit, aut præcepit: vt illi tres gradus continentes ſint in omnibus.

Detorta expoſitio.

Num. 23.

Concilij Agathenſis Canon nonus mihi primus eſſe videtur, quo abſoluta & perpetua continentia Preſbyteris & Diaconis coniugatis, indicitur.

Propoſitio auctoris ignorantiam oſtendens.

Num. 49. *in fine.*

Laqueum igitur ponunt leges omnes Eccleſiaſticæ, omnes conatus, ac violentiæ, quibus Clerus adigitur ad cælibatum.

Propoſitio falſa & ſcandaloſa, Ordinis Eccleſiaſtici perturbatiua.

Num. 50.

Sanctiones, vt dixi, Eccleſiaſticæ, nullæ in Oriente datæ, coniugij opus vetant, clericis coniugatis: nonnullæ protegunt & defendunt.

Propoſitio falſa Concilijs & hiſtoriæ repugnans.

Num. 54. *in fine.*

Plurimum falluntur, qui in tertio Nicæno Canone cælibatum ſtabiliri putant; nam per ſubintroductam mulierem, vxor nullo modo poteſt intelligi.

Violenta expoſitio Nicæni Canonis tertij.

Num. 70.

Dico alios etiam Epiſcopos, ſuo vſos fuiſſe matrimonio, citra errorem vllum, vllamue reprehenſionem.

Propoſitio falſa autoritate Concilij Nicæni malè probata.

Eodem poſt pauca.

Et quamuis poſtea Epiſcopi inducta conſuetudine, vt ſi coniugati eſſent in ſui promotione, ceſſarent in poſterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione; quaſi putarent id eis iã minimè licere; ſed ex deuotione, & perfectioris cuiuſdã puritatis amore. *Et poſt pauca ibidem*: Hanc tamen deuotionem, nõ omnes Preſbyteri, qui ſunt multò plures, ſunt amplexi; ſed ſoli, qui liberè voluerunt. Et ita Preſbyteris liberum manſit, vt qui poſſent capere, caperent.

Hæc aſſertio in verbis; id tamen non faciebant, *&c. falſa eſt: in illis autẽ verbis* Preſbyteris liberum manſit, *hæretica*.

Num. 71.

Dico legibus quidẽ & ſtatutis multis expreſſis, Occidẽtales Eccleſias, coniugatorum ſacrorum miniſtrorum continentiam perpetuam ab vxoribus præcepiſſe; & in hoc plurimum eas differre ab Orientalibus; quæ id neq; vnquam præceperunt, neque præcipi poſſe, aut debere cenſuerunt; ſed præcepta huiuſmodi, vt iniqua, & mala damnarunt.

Aſſertio

Assertio falsa in verbis: neque vnquam præceperunt, *& subsequentibus.*

Num. 88.

Si verò ex alia parte vellemus rationes congerere, ad Clericorum coniugia cōfirmanda; & incommoda recensere atque exaggerare, quæ lex cœlibatus & continentiæ secum fert, non pauciores, sed multò fortasse plures exurgerēt probabilitates, legem hanc non esse proficuam, sed omninò abrogandam.

Propositio temeraria & scandalosa.

CAPVT XI.

Votum continentiæ non esse annexum sacro ordini; neque vllo tali voto dirimi Matrimonium.

T*Itulus hæreticus decretis Pontificum & Canonibus Conciliorum repugnans, quem M. Antonius malè allegatis & tortis auctoritatibus Constitutionum Pontificiarum, Conciliorum & Patrum, malè probat.*

Num. 1.

Doctrinam quandam priscis temporibus inauditam, & eam quidem falsissimam, simulque valde Ecclesiæ perniciosam, & animas plurimas in barathrum æternæ damnationis crudelissimè præcipitantē, prōpserunt & euulgarunt: nimirū sacros

Violenta expositio Nicæni Canonis tertij.

Num. 70.

Dico alios etiam Episcopos, suo vsos fuisse matrimonio, citra errorem vllum, vllamue reprehensionem.

Propositio falsa autoritate Concilij Nicæni malè probata.

Eodem post pauca.

Et quamuis postea Episcopi inducta consuetudine, vt si coniugati essent in sui promotione, cessarent in posterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione; quasi putarent id eis iã minimè licere; sed ex deuotione, & perfectioris cuiusdã puritatis amore. *Et post pauca ibidem*: Hanc tamen deuotionem, nõ omnes Presbyteri, qui sunt multò plures, sunt amplexi; sed soli, qui liberè voluerunt. Et ita Presbyteris liberum mansit, vt qui possent capere, caperent.

Hæc assertio in verbis; id tamen non faciebant, *&c. falsa est: in illis autẽ verbis* Presbyteris liberum mansit, *hæretica.*

Num. 71.

Dico legibus quidẽ & statutis multis expressis, Occidẽtales Ecclesias, coniugatorum sacrorum ministrorum continentiam perpetuam ab vxoribus præcepisse; & in hoc plurimum eas differre ab Orientalibus; quæ id neq; vnquam præceperunt, neque præcipi posse, aut debere censuerunt; sed præcepta huiusmodi, vt iniqua, & mala damnarunt.

Assertio falsa in verbis: neque vnquam præceperunt, *& subsequentibus*.

Num. 88.

Si verò ex alia parte vellemus rationes congerere, ad Clericorum coniugia cõfirmanda; & incommoda recensere atque exaggerare, quæ lex cœlibatus & continentiæ secum fert, non pauciores, sed multò fortasse plures exurgerẽt probabilitates, legem hanc non esse proficuam, sed omninò abrogandam.

Propositio temeraria & scandalosa.

CAPVT XI.

Votum continentiæ non esse annexum sacro ordini; neque vllo tali voto dirimi Matrimonium.

Titulus hæreticus decretis Pontificum & Canonibus Conciliorum repugnans, quem M. Antonius malè allegatis & tortis auctoritatibus Constitutionum Pontificiarum, Conciliorum & Patrum, malè probat.

Num. 1.

Doctrinam quandam priscis temporibus inauditam, & eam quidem falsissimam, simulque valde Ecclesiæ perniciosam, & animas plurimas in barathrum æternæ damnationis crudelissimè præcipitantẽ, prõpserunt & euulgarunt: nimirũ

sacros

ſacros ordines ſaltem in Occidente , adnexum habere votum ſolemne continentiæ.

Aſſertio falſa, temeraria, & ſcandaloſa.

Num. 8.

Neque in tota antiquitate eſt reperire vllum aut Conciliorum aut Patrum dictum, quo matrimonia hæc (poſt votum ſolenne ſacrorum ordinum) irrita & nulla declarentur.

Propoſitio falſa.

Num. 9.

Probo vota quæcunque ſolennia caſtitatis, etiam monaſtica, non abrumpere coniugia, quæ poſt ipſa vota copulentur.

Propoſitio hæretica.

Num. 10.

Et ſuo modo etiam illæ ordinabantur; & Diaconiſſæ etiam vocabantur. Quarum votum caſtitatis eiuſdem prorſus naturæ & obligationis erat, cum voto caſtitatis Clericorum.

Somnia M. Antonij.

Num. 40. *in fine.*

Igitur cœlibatus à libera Clericorum pendet voluntate, & electione: etſi poſt ordines ſacros quis contrahat matrimonium, id firmum erit & legitimum.

Propoſitio hæretica, traditioni Apoſtolicæ, autoritati & legibus Eccleſiæ derogans.

Num.

Num. 55. fin.

Qui verò de continentia vera & perfecta ſeruanda diffidunt, eamq́ue capere non poſſunt, clam, & prudenter, ad perſecutiones ſuperiorum euitandas, vxores ducant; ijſq́ue cum ſancta benedictione vtantur, potiùs quàm ſordeſcant. *Et poſteà in fine eodem:* Veſtrum igitur eſt fratres chariſſimi, vt rurſus veris nuptiarum fœderibus & animæ ſaluti proſpiciatis, & nominum infamiam re ipſa, ſaltem coram Deo aboleatis, veraſq́ue vxores potius habeatis, quàm tot peccatis, & ſacrilegijs animas veſtras, veſtrarumq́ue infelicium fœminarum, ad æternam damnationem oneretis.

Conſilium impium, ſcandaloſum, pernicioſum, quo M. Antonius ſeipſum de incontinentia ſuſpectum facit.

CAPVT XII.

Num. 15.

NON exuit tamen hominem ſua libertate, vt ſi nolit Clericalem ordinem retinere, non fiat plenè (quoad forum externum) ſui iuris, & cum cõmuni hominum multitudine humana, & naturali plenè non potiatur libertate. Multò minus Monachalis profeſſio, poterit hominem ſua naturali exuere libertate.

Propoſitio hæretica in verbo: Monachalis profeſſio, *ſi per eam intelligat profeſſionẽ religionis approbatæ.*

Num.

Num.17.

Coram Deo votum ſimplex & votum ſolenne vnicum eſſentialiter eſt eiuſdem prorſus valoris, eiuſdemq́ue obligationis.

Propoſitio erronea in verbis: eiuſdem valoris, eiuſdemq́ue obligationis.

Num. 38. in fine.

Si igitur (Monachus legitimè profeſſus) duxerit vxorem, Auguſtinus & cum eo ſancti Patres, omnes penè ad vnum, qui aliquid de hac re ſcripſerunt, vt vidimus, nuptias legitimas agnouerunt.

Propoſitio falſa, & in ſanctos Patres calumnioſa.

Num.43.

Secũdo ſolennitates haſce (voti ſcilicet) impedire quidem ac vetare, ne matrimonium contrahatur; contractum tamen poſt illas, ex eis nõ dirimi, ſed eſſe ratum firmum, & validum, tam in Monacho, quàm in Moniali; ſicut poſt votum ſimplex.

Aſſertio hæretica.

Num.44.

Ego tamen dico coram Deo, non plus eſſe Apoſtatam à Monachatu illum, qui poſt ſolẽnem profeſſionem, quàm qui ante illam, fit iniuſtus deſertor propoſiti, & inſtituti iam arrepti, ſi id non tantum animo probandi, ſed animo amplectendi, & perſeuerandi arripuerit.

Aſſertio falſa.

Num.

Num. 45.

Hic ſanè peccat contra Deum, & damnationem habet; ſed Eccleſia nihil habet contra illũ, in foro externo.

Propoſitio hæretica.

Ibidem pòſt pauca.

Quod ſi vxorem duxerit, pœniteat de peccato deſertionis, ſed permaneat in coniugio, neq; enim amplius indiget vlla diſpenſatione. *Et paulò pòſt:* quia longè arctius eſt vinculum coniugij, quàm Monachalis profeſſionis.

Propoſitio hæretica.

Num. 47.

Monachi nullam cum Eccleſia publicè, quantumcunque ſolennem emittant profeſſionem, contrahunt obligationem.

Propoſitio ſophiſtica in verbo: publicè. *in reliquis falſa & erronea.*

*Num.*51.

Ex hoc ipſo euidenter colligitur, Monachos qui Monachatum cum Clericatu confuderunt, iam neque eſſe veros Monachos, neque veros Clericos. Clericatus enim cum Monachatu pugnant, & ſunt incompatibilia,

Propoſitio falſa & temeraria.

*Num.*78. *finali.*

Debetis profectò modò poſſitis; poteſtis verò, modò velitis Eccleſiã ſanctã ſuo nitori reſtituere, ſchiſmata cõprimere, &c. *Et poſt pauca ibid.* Solùs,

mihi

mihi credite, obstat infelix, & vndequaque abominandus Papa, &c.

Propositio schismatica & seditiosa: Librisq; secundi mordax, & in Romanam Sedem contumeliosus Epilogus mordaci & contumelioso eiusdem Libri in Sedem Apostolicam prologo conuenientissimus.

LIB. III.

Proœmium.

Numero 2.

VEram aliam Hierarchiam inter nos nullam habemus, qui sub illo vnico Principe & Imperatore ei militamus.

Assertio hæretica Hierarchiæ Ecclesiasticæ omninò perturbatiua.

Et paulò pòst.

Vineam hanc maximam inter se partiuntur: officiaq; aliqua, ad torpētes excitandos, inutiles expellendos, vtiles aduocandos, amicabili consensione ita distribuunt, vt tamen nemo eorum ex operario fiat Dominus; sed omnes perpetuò sint operarij, & conserui.

Repetitio hæreseos quâ asserit omne ministerium Ecclesiasticum esse ministeriale & æquale.

Num. 3.

Hinc iam nobis dominiū vsurpamus in socios, & imperium: sacculum deponimus, vt sceptrum assuma-

assumamus: ab opere cessamus, vt tantummodo collegis dominemur: nos operarios esse obliuiscimur, & typhum in socios exercemus: omnes serui eiusdem patrisfamilias ęquè sumus: & tamen aliquis nostrum sibi soli Oeconomi officium arrogans in suos insurgit conseruos, ac dicit.

Assertio in Pontificem iniuriosa, & in verbis, æquè sumus, *hæretica.*

CAPVT I.

Nullam esse iure Diuino inter Episcopos veram Prælationem, aut subiectionem.

T*Itulus hæreticus, numero primo ex hæreticis principijs, consequentia hæretica illatus.*

Num. 3.

Illa ergo tota vna Ecclesia integra, quam omnes Apostoli initio, per vniuersum orbē, in omnibus orbis partibus, fundarunt; dat similiter vnitatem reliquis omnibus, quę successu temporum, illi adhæserunt, & in dies adhærent, & annectuntur.

Assertio fraudulenta, quæ ad vnitatem Ecclesiæ, ab vnitate capitis maxime dependentem negandam, viam sternit.

Et paulò post.

Ita etiam Optatus vnicam facit in tota Ecclesia Cathedram.

Detorsio Optati violenta, cum Optatus ibidem manifestè tradat vnitatem Ecclesiæ, ab vnitate Capitis sumendam.

Num. 4.

Non ergo Roma Regina, sed vna ex innumerabilibus, quæ simul sumptæ, & vinctæ fide ac religione, conficiunt Reginam.

Consequentia hæretica sophisticè ex S. Augustino illata.

Num. 10.

Et hæc vnitas est vnitas vnius totius integralis, in re quantitatiua homogenea, quæ habet partes duntaxat integrantes, sed homogenas.

Propositio hæretica & repugnans sacræ scripturæ asserenti Ecclesiam esse corpus constans ex partibus heterogeneis, vnde hæreticum est quod subiungit paulò infrà: Et consequenter nulla subiectio, nulla prælatio, sed simplex cohærentia, & situatio, cùm sola loci, seu situs diuersitate.

Num. 11.

Hanc ergo Ecclesiam, quę vnus grex magnus est, dico esse vnicam illam Ecclesiam, quam vnicam tot adducta Patrum documenta faciebant, & hanc Ecclesiam eam solam vnitatem habere contendo, quæ est vnitas duntaxat molis, seu magnitudinis, ex pluribus constans partibus integrantibus, sed homogeneis.

Repetitio hæreseos præcedenti numero memoratæ.

Num. 13.

Hæc igitur vna Ecclesia, Christi gratia & iussione, Apostolorum verè opera & labore, post Christi passionem, & resurrectionem fundata; ijsdé, per quos fundata est, à Christo Domino, est etiam ad regendum commissa, & commendata; non vni, quia non ab vno, sed à pluribus fundata est, & ædificata.

Repetitio hæreseos sæpius notatæ.

Et paulò post.

Idcirco operarios omnes, Christus voluit conficere vnicum corpus operariorum, qui in solidum, totam hanc vineam excolerent.

Assertio hæretica in verbo, in solidũ, *& stulta, supponens corpus homogeneum, cuius partes diuersa habent officia.*

Ibidem in fine.

Itaq; iure Diuino Episcopi omnes, quippe Apostolorum successores in officio ministeriali, inter se æquales cum sint, id est, omnes æquè operarij, in hac Ecclesia ad laborandum in solidũ deputati, nulla inter ipsos potest esse, ex Diuina institutione, subiectio aut prælatio.

Repetitio hæresis.

Num. 14.

Omnes, inquit Cyprianus, in solidum illam TOTAM Ecclesiam gubernant.

Hæreticus Cyprianum ad solidũ & stolidum Ecclesiæ suæ regimẽ more suo falso detorquet: quia Cypriani verba etiam vt ab ipso hoc eodẽ numero citantur sic habent:

episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum Pars tenetur.

Num. 16.

Audis ex ore vnius Romani Pontificis, pulcherrimam veritatis assertionem: episcopis omnibus, inter quos se etiam connumerat, & includit, generaliter esse Ecclesiam commissam.

Verba S. Damasi, contra ipsius intentionem ad impugnandum Primatum Romanæ Ecclesiæ, malè torquet, vt patet ex præcedentibus, & sequentibus eiusdem Ecclesiæ.

Num. 18.

Sed Bellarminus nihil dicit, imo & sibi contradicit.

Verba iniuriosa in Illustrißimum Cardinalem Bellarminum, qui lib. 2. c. 16. rectè dicit: succeßionem Romani Pontificis in Pontificatum Petri esse ex institutione Christi: rationem verò succeßionis, qua Roman. Pontifex potius, quàm quiuis alius succedit, esse ex facto B. Petri.

Et infrà.

Quæ verò Ecclesia melius fidem retinuit, & purius conseruauit, illa ex accidenti facta est quodammodo matrix, & radix aliarum. Vt Romanæ contigisse docebo lib. 4. seq. c. 3. sed, vt dixi, hoc fuit merum accidens, & separabile: imo & cum omnibus sedibus Apostolicis, commune.

Propositio hæretica dupliciter, quia Romana Ecclesia, ex priuilegio Petro à Christo concesso, Matrix & Radix est aliarum, & deficere non potest.

Hic

Num. 19.

Hic manifeſtum eſt, hos ſanctos Epiſcopos, ſe ſimul cum Papa Damaſo, & alijs Epiſcopis Occidētis, agnouiſſe communes operarios, qui circa corpus vniuerſum Eccleſiæ laborent, non quidem inter ſe, ſed ſoli Chriſto immediatè ſubiecti.

Conſequentia hæretica, in illis verbis: non quidem inter ſe, ſed ſoli Chriſto immediatè; *ex ſynodica Epiſtola Conc. Conſtant. primi violenter & falsò illata.*

Ibidem.

Vnde & Ambroſius, Non mundauit, inquit, Damaſus; Non mundauit Petrus; Non mundauit Ambroſius; Non mūdauit Gregorius; noſtra enim ſeruitia, ſed tua ſunt Sacramenta. Damaſum, Petrum, Ambroſium, Gregorium Theologum ſimul iungit, & æquè ſocios facit in ſolo & nudo miniſterio & ſeruitio, tam in exercitio ordinis, quàm iuriſdictionis.

Ineptiſsima illatio; ineptiſsimè enim ſic infert: Sacramenta ſunt Chriſti, non Miniſtrantium: ergo qui adminiſtrant ſacramenta, omnes ſunt pares in ordine, & iuriſdictione.

Num. 21.

Putaſne nunc diſtinxerit Symmachus in Epiſcopis poteſtatem iuriſdictionis, à poteſtate ordinis? Vnicum, inquit, & indiuiſum in poteſtate eſt in omnibus Epiſcopis ſacerdotium. Et ſanè loquebatur de exercitio poteſtatis iuriſdictionis, circa Epiſcoporum inſtitutiones.

Propositio falsa, Symmachus enim de cons. Episc. allegata epistola scribens de potestate ordinis in omnibus æquali, non iurisdictionis loquitur.

Num. 22.

Intelligit (Origines) proculdubio quemcunque Episcopum.

Falsa & calumniosa interpretatio Origenis, qui de Romano, non quocunq; alio Episcopo loquitur.

Et paulò post.

Gelasius & ipse Pōtificalem potestatem, eam nimirum, quæ in omnibus residet Episcopis, cū regali potestate comparauit: Vt his duabus totus mundus rogatur. Vnam ergo solam & sanè eandem agnouit, in omnibus Episcopis potestatem in solidum.

Gelasium de potestate Romani Pontificis loqui patet ex ipsa epistola, quæ est octaua tom. 2. Conc. & ex Greg. VII. li. 8. epist. 21. Vnde colligitur auctoris expositionem fraudulentam esse, eoq; detortam, vt hæreticam suam opinionem authoritate Pontificia confirmasse videri posit.

Num. 24.

Sensit ergo Cyprianus, nullum esse in Ecclesia Episcopum, qui possit clauium vti potestate erga alium Episcopum.

Propositio falsa, quia Cyprian. lib. 3. epist. 13. Stephanum Papam hortatur, vt iubeat deponi Episcopum Arelatensem, aliumq; eius loco constitui.

CAP.

CAPVT II.

Ecclesiasticam Hierarchiam inter Episcopos & Ecclesias iure solo humano Ecclesiastico esse institutam.

T*Itulus hæreticus ex præcedēti capite, hæretica consecutione, illatus.*

Num. 4.

Institutionem itaq; primam Patriarcharum, ac Primatum & Metropolitanorum, non est cur tribuamus Concil. Nicæno: id enim gradus hos Ecclesiasticos iam reperit institutos: institutionem verò totam reduxit ad cōsuetudinem, non ad Petrum, vt fatetur etiam Bellarmin. de Rom. Pont. l. 4. c. 25.

Assertio duas falsitates continet: primū, quia Nicæn. Conc. can. 6. initiū sic habet: Roman. Ecclesia semper habuit primatū, *vt patet act. 16. Concil. Chalced. secundam quod Bellarmin. idem fateatur, qui tamē loco allegato, disertis verbis scribit, initio à Petro constitutos esse Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum.*

Num. 5.

Romana tamē varijs vsa occasionibus, & opportunitatibus, sui Patriarchatus limitibus non contenta, paulatim Monarchiam & imperium absolutum in vniuersam Ecclesiam vsurpauit.

Assertio hæretica & calumniosa, Romanæ. n. Ecclesiæ, quæ primatum semper habuit certi ac dēfiniti termini per nullum Concilium constituti sunt.

Num. 8.

Vt planè videas nõ iure Diuino, non Romano Pontificio, ſed ſynodico, & Patrum conuentione, Prouinciarum curam fuiſſe certis Eccleſijs attributam.

Aſſertio hæretica & ſimul Concilijs repugnans.

Num. 12.

Concilium Chalcedonẽſe repetit, & confirmat decretum Concil. Conſtantinopolitani, in quo ſimilis primatus datur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, atque erat primatus Romanæ.

Vtriuſq; Concilij Canones, de Concilio Conſtantinopolitano loquentes, ſunt ſpurij & illegitimi.

Num. 16.

Apertè igitur profitetur Iuo æqualitatem iure diuino, inter omnes Epiſcopos: & ſola Eccleſiaſtica inſtitutione, quoſdam actus cõcedi alijs ſupra alios: meram vero ambitionem eſſe, vbi vnus Epiſcopus, quicunq; ille ſit, & quocunque primatu Eccleſiaſtico ornatus, velit ſibi ſoli omnem poteſtatem Eccleſiaſticam arrogare.

Calumnioſa & mala illatio ex S. Iuone, qui epiſt. 33. ad Paſchalem Papam gratulatur ei, quod Apoſtolici gradus culmen aſcenderit. Epiſt. 53. alijſq; pluribus, eundem omnis Eccleſiæ caput nominat.

CAPVT III.

Num. 9.

MOrem vides antiquiſſimum ab ipſa Euangelica & Apoſtolica traditione, vt aſſerebat

bat Cyprianus, emanantem; vt Episcopi, aut electione & propositione totius Ecclesiæ, etiam laicorum (vnde iam abusus irrepserant tempore Origenis,) aut saltem communi plebis assensu designarentur, & ad Episcopale munus assumerentur.

Hæ assertiones aliæq; infinitæ similes, quatenus asserunt Euangelica & Apostolica traditione electionem laicis æquè vt Episcopis conuenire, œcumenicis Concilijs aduersantur.

Et paulò post.

Communem ponit (*Can. 6. Concil. Nicæni*) electionem, non ab Episcopis tantùm factam, sed etiam concurrente cum illis, & clero & plebe loci, de Episcopo prouidendi.

Falsò hoc can. vocem, communem; *ampliando nimis ad laicos extendit, vt patet ex translatione Isidori Mercatoris.*

Num. 52.

In ordinationibus verò totam dicimus consistere potestatem missiuam sacerdotum, & cõsequenter in consecratione seu missione, tota consistit Episcoporum institutio.

Propositio hæretica.

Num. 54.

Optimè & meritò factum est, vt Reges, & Principes temporales, tanquam suæ plebis præcipui protectores, & generales procuratores, electiones pro ipsa, & loco ipsius, peragant.

Propositio falsa, in quantum asserit, consensu tacito

vel expresso Pontificis non interueniente, Reges & Principes pro plebe & loco ipsius electiones peragere.

Num.64.

Nicænus verò Canon octauus, vt Ecclesiæ praxis illum explicat, & patebit ex sequentibus, excludit duos Episcopos inter se diuisos, cùm plebis etiam diuisione: non autem duos in solidum, & magna charitate coniunctos, & in vno eodemque agmine in solidum amicè copulatos.

Falsa ab auctore ad nouam suam hæresin solidorum Episcoporum detorta expositio can.8. Nicæni, vt patet ex Innoc.1. epist.29. ad Clerum & populum Constantinopolitanum, qua in causa S. Chrysostomi aduersus eos, qui in locum viuentis alium Episcopum creauerant, Nicænum hunc Canonem id prohibentem citat.

Num.68.

Hic video supponi, tanquam rem consuetam & ordinariam, vt Episcopus, etiam Romanus, adhuc viuens, sibi delegat successorem.

Propositio falsa in verbis, tanquam rem consuetam & ordinariam, *nam præter Petrum M. Antonius neminem alium ostenderit.*

Num.75.

Concludamus; Nihil obstare, quo minus viuente Episcopo, & suam dignitatem retinente, possit successor ipsius eligi & confirmari: ipso sic volente, & electoribus ordinarijs, hoc est, Clero & plebe, seu loco plebis Principe concurrentibus, Metropolitanoque, seu Patriar-

chaid concedente & approbante. Nec ſolum poſſe talem eligi & confirmari, ſed etiam ſi omnes iam dicti conueniant, conſecrari; & ſimul cum alio in ſolidum Coëpiſcopum fieri. Et conſequenter poſſe, ex cauſis vel inhabilitatis, vel ægritudinis, vel occupationis maioris Eccleſiaſticæ, & ſimilibus, Epiſcopo volenti & petenti Clero ac plebe aſſentiente, non ſolum authoritate Patriarchæ ſupremi, ſed etiam ſolius proprij Metropolitani, dari coadiutor cum futura ſucceſſione.

Obſtat poſt antiqua iura SS. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 7.

CAPVT IV.

Num. 16.

DAmaſus per vim & arma, cædeſque fœdiſſimas in Pontificatum eſt ingreſſus.

Calumnia in S. Damaſum, qui iudicio SS. Patrum totiusq; Eccleſiæ laudatus & approbatus eſt, præterquam à Marcellino bis ſchiſmatico, & M. Antonio de Dominis ſexies periuro.

Num. 30.

Noſtri tamen ſummi Pontifices omnia ſibi licere putantes, contra hæc adeò veneranda iura, & laicos, & alienos, & irregulares, & plurimos indigniſſimos promouent, non quidem ita neceſſitate aliqua, aut Eccleſia-

rum vtilitate vrgente; sed prece, vel precio suadentibus.

Calumnia in summos Pontifices.

CAPVT V.

Num. 5.

NE putes tamē ordinationes has Episcoporum ex his apocryphis constitutionibus & decretalibus, legem in Ecclesia sumpsisse ; non enim lege vlla certa, non Canone, non præcepto, aut diuidi cœperunt prouinciæ, aut ordinationum Episcopaliū modus præscribi, sed ipsimet Episcopi, & ratione & experimento dictāte, & spiritu Christi internè instruente, vt confusio vitaretur, & simultatibus atque schismatibus occasiones præciderentur, paulatim inuexerunt morem & consuetudinem, vt circumuicini Episcopi certis limitibus inclusi, sese inter se ordinarent.

Propositio falsa, canonibus contraria, & simul redolens spiritum illum, qui testimonium conscientijs dat hæreticorum nostri temporis.

Num. 9.

Nunc verò, proh dolor, lex hæc sanctissima, de tribus ad minimum consecratoribus, more Pharisaico, sicut & plurimæ aliæ, ac præcipuæ, quibus regenda est, iuxta traditiones Apostolicas, & Canones venerandos, Ecclesia; ad externam solam speciem, non sine ludibrio, redacta

est,

est, dum summus Pontifex solus sæpissime & eligit, & approbat, & confirmat, & deputat Episcopos: eosque tradit tribus quibuscunq; obuijs Episcopis, etiam ex remotissimis, ac inter se distantissimis, siue etiam meris titularibus, qui re vera nullius sint Ecclesiæ, nulliusque prouinciæ Episcopi consecrandos. Quod est turpiter sacris illudere Canonibus: & tamen Nicænus Canon, Episcopum non esse definit, qui sic per ludibrium sit consecratus.

Assertio in sensu auctoris hæretica, illis verbis, Episcopum non esse, *infra sæpius repetita. Eadem est iniuriosa in sedem Apostolicam.*

Num. 48.

Consecratio verò est mera quędam cæremonia, cum precibus & manuũ impositione, alijsque externis actibus peracta: quæ sæpè ordinationem iam factam subsequitur.

Propositio hæretica.

CAPVT VI.

Num. 23.

ALterum caput mihi videtur grauem in se continere blasphemiam, & ethnicismum redolere, dum se Papa in terris alterum Deum facit.

Hæc propositio est calumniosa in Innocentium, qui se non alterum Deum facit, sed tantum sese Christi Dei in terris Vicarium dicit.

CA-

CAPVT VII.

Num. 1.

NVllum Episcopum esse, iure Diuino, aliorum Episcoporum Episcopum, sed vnumquemque Episcopum esse in sua Ecclesia supremum, & immediatè soli Deo subiectũ, in quantum Episcopus est.

Repetitio hæreseon suprà memoratarum.

Ibidem in fine.

Ostendam enim iurisdictionem aliquam temporalem Ecclesiam in suos ministros, dono ... priuilegio Principum, quam aliunde ... non poterat, acquisiuisse. Et infra ... præsertim postquam dono Princip... iurisdictio etiam aliqua tempor... clesiæ.

Propositio hæretica, quia o... Ecclesiæ Prælati in ministros ... mediatè vel à Christo, vel à ...

Itaque relin... nissima po... cun...

dum

dum in Concilio Tridentino cernimus hanc Metropolitanorum poteſtatem erga ſuos ſuffraganeos, non parum reſtrictam, & coarctatam.

Concilium Tridentinum antiqua iura potius renouauit, quam reſtrinxit: pro bono Eccleſiæ eidem Concilio reſtringere licuiſſet, ſi placuiſſet.

Eodem paulò infrà.

Sed totus illius Concilij (Tridentini) ſcopus fuit, vt ampliſſimam iam ex innumeris vſurpationibus Papalem poteſtatem non modo ſtabiliret, ſed etiam faceret ampliorem. Solus enim Papa, ſolaque R… ncilium illud rexit, ſtruxit & inſtrux…

M. Anto… ntifici veram obedientiam, &… obſeruantiam & receptionem… hanc propoſitionem cum pe… is temerè ac ſacrilego ore

… T VIII.

… um. 3.

… imus planeque intolerabi… lum aſſerit Canoni huic 12. … à Chryſoſtomo obiectum, … m.

… *vt autor eum errare fingat, no… chenum fingit.*

CA-

CAPVT IX.

Num. 8.

SEd hoc eſt iam ordinarium Paparum artificium, vt quæ Epiſcopi proprio iure poſſunt, ea Apoſtolica concedant auctoritate, vt inde Epiſcopi fiant merè Papæ miniſtri & executores.

Aſſertio calumnioſa in Romanum Pontificem.

Num. 16.

Neſcio ergo cur Concilium Tridentinum hanc viſitandi prouinciam facultatem, à iure diuino radicaliter habitam, & per tot Eccleſiaſtica iura expreſſa confirmatam, Metropolitanis auferre voluerit, ſtatuendo vt ipſi Metropolitani non poſſint prouincias ſuas viſitare, niſi cauſa cognita & probata in Concilio Prouinciali.

Iniurioſa reprehenſio SS. Concilij Tridentini, quaſi contra ius diuinum, poteſtatem viſitandi arctaſſet Metropolitanorum, quibus iure diuino id non competit.

Num. 22.

Cuius tamen neque neceſſitatis, neque vtilitatis Romæ vlla habetur ratio, ſed modo pecunia currat, indifferenter omnes diſpenſantur.

Propoſitio iniurioſa in Romanam Curiam.

CA-

CAPVT X.

Num. 4.

HÆc tamen (quod ſcilicet harum ſedium Patriarchalium prærogatiua & inſtitutio ad Petrum ſit referenda) cùm in propria cauſa à Romanis Pontificibus ſuas fimbrias libenter dilatantibus exaggerentur; ſi ipſa per ſe, & ex ſe, aut aliunde fidem ſibi non conciliant; ex dicentium ſola authoritate fidem non merentur; ſed redduntur ſuſpectiſſima: Imò in ſe ruinoſa ſunt, & facilè reprobanda.

Propoſitio ſingularem authoris iactantiam oſtentans, falſa eſt, & temeraria.

Num. 7.

Cùm itaque planum ſit, ſedes Apoſtolicas eſſe multas; non minus tali dignas titulo, quàm ſit Romana.

Vana aſſertio.

Num. 8.

Cùm Epiſcopus omnis poſſit mittere nouos Euangelii miniſtros in proximas regiones, in quibus Euangelium non ſit prædicatum.

Propoſitio hæretica, ſi loquatur de miſſione autoritatiua.

Num. 13.

Vt hinc habeamus Metropolitanorum inſtitutionem eſſe potiſſimùm ad Epiſcoporum ordina-

Propositio hæretica, & grauiter iniuriosa.

Num. 21.

Bone Deus, quàm exorbitans dictum, quàm arrogans Assertio Romanam Ecclesiam quatuor Patriarchales Ecclesias instituisse! & ineptiæ huiusmodi nobis pro sanctis oraculis obtruduntur!

Non est arrogans dictum, quod auctoritate Pontificum, Conciliorumq; est munitum.

Num. 23.

Siricius dum ita statuit. Nemo extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est, Primatis, audeat ordinare Episcopum. Hoc est, non licere Episcopis quibuscunque, etiam eiusdem Prouinciæ, sine concursu, seu consensu sui Metropolitani, qualis est Pontifex Romanus, in Prouincia Romana, Episcopum consecrare.

Expositio fraudulenta, & dolosa, ad hoc excogitata, vt nomen sedis Apostolicæ Romanæ sedi suffuretur.

Num. 32.

Quod si Patriarchæ quinque illi celebres, inter se comparentur, nullam prorsus inter ipsos inuenies, prǽter solũ ordinem dignitatis, & prǽcedentiæ subordinationem, aut in potestate erga suos subditos disparitatem.

Propositio hæretica, Romani Pontificis primatui, quẽ semper habuit derogans.

Num. 34.

Et quis meliùs, atq; ardentiùs paritatem hanc

licitæ, siue vni, siue alteri, siue etiam ex illis quinque nulli subsint. Habere enim vnum ex his Patriarchis sibi prælatum non est de necessitate salutis, vt iam vidimus.

Propositio hæretica: neque enim potest esse membrum Ecclesiæ, extra quam nulla est salus, qui capiti Ecclesiæ subesse repugnat.

Ibidem.

Monarchiam semper & Christus à sua Ecclesia amouit; & ipsa Ecclesia abominata est.

Propositio hæretica sæpius repetita.

Num. 44.

Falsum enim est, vnionem Ecclesiæ Catholicæ in vnitate Rectoris visibilis consistere.

Propositio hæretica & schismatica, sæpius repetita & improbata.

Num. 49.

Et nullus Patriarcha, ex Canone Nicæno ius vllum habet in alium Patriarchatum.

Propositio falsa frequenter supra improbata.

Num. 50.

Applaudat sibi quantum vult Innocentius, & excipiat suam sedem, nihil refert. Quod enim de Patriarchalibus sedibus in genere protulit; id de omnibus, etiam de Romana, verissimum est; quam à sacris Canonibus, & sanctis Patribus nunquam exceptam reperies; sed ex æquo cum aliis inclusam; iisdemque obligatam legibus, & decretis.

Propositio hæretica, & M. Antonij circa iura Romanæ ſedis, vel craſſam ignorantiam, vel mentiendi libidinem affectatam prodens.

CAPVT XI.

Num. 1.

NAm exercitium poteſtatis Epiſcopalis, quæ de ſe eſt vniuerſalis, nulli certo loco, nulli certo gregi alligata.

Propoſitio hæretica, ſupra ſæpiùs improbata.

Ibidem.

Metropolitani, qui in ſua legitima ordinatione totam quam habent conſequuntur à Deo poteſtatem.

Propoſitio hæretica, in verbis: Totam à Deo.

Num. 23.

Hoc pacto ſibi ipſis noſtri Papæ ſubſternunt baſes, eaſque in altum ſuſtollunt, vt Idolum abominationis tantò eminentius ſuper illas collocetur.

Propoſitio, in Romanum Pontificem plus quàm calumnioſa.

Num. 25.

Et tali pallio ſibi Metropolitanos omnes totius Occidentis ſubiugare voluerunt.

Propoſitio falſa. Omnes enim, etiam non donati pallio, Pontifici Romano ſubſunt, aut ſubeſſe debent.

Num. 26.

Sed quatuor Patriarchas Orientales habere hanc ſubiectionem ad Romanum, ab eoque teneri

neri pallium poſtulare,& accipere,mihi videtur falſiſſimum.

Propoſitio falſa & temeraria.

Num. 27.

Cum tamen & Concilium Nicænum,& tota Eccleſia,vt iam oſtendi,oſtendamq́; pleniùs, vnumquemq; Patriarcham ſupremum fecerit in ſua regione, ab alio prorſus indepēdentem cum plena ſeparatione, quoad loca & regiones,Eccleſiaſticæ poteſtatis.

Propoſitio hæretica,& Concilio Nicæno repugnans.

Num. 28.

Patriarchas quippe nulli certo Eccleſiaſtico homini etiam iure Eccleſiaſtico ſubiectos, voluit per ſe ipſos ſibi pallium ſumere, & à nemine illū poſtulare, ne ſuprema ſedes, qualis eſt,quæcunq; ſedes Patriarchalis, vlli ſedi videatur ſubiecta.

Repetitio hæreſeos,ſupra improbata.

Num. 30.

Imperij igitur Chriſtiani abolitio, & Turcorum tyranni ad ipſum Imperium electio, Anglicanæ,Gallicanæ magna ex parte,& Germanicæ,ac Polonicæ, reliquarumq́; Septentrionaliū Eccleſiarū à Romana dimembratio, ſunt fructꝰ egregij noſtræ Papaticæ Monarchiæ. O Monarchiam toti orbi Chriſtiano infauſtam, atq; infeſtā; O ſeruitutem & cœcitatē Principum Chriſtianorum,omnib. lachrymis deplorandam,qui hæc aut non cernunt, aut de remedio oportuno non cogitant.

Propositio falsa, in Romanum Pontificem iniuriosa, & seditiosa.

Num. 35.

Quod Nicolaus rescribit Bulgaris, primam Archiepiscoporum institutionem spectare ad Romanos Pontifices, nō potest intelligi id semper, & ad solum Romanum Pontificem, & vbique spectare.

Expositio falsa, violenta & hæretica.

CAPVT XII.

Hierarchiam hanc Ecclesiasticam nunc plurimum turbari & confundi.

Titulus in sensu autoris falsus, & iniuriosus, qui non per vsurpationem, vt toto hoc Capite calumniatur author, sed suo iure totius orbis terrarum Episcopos constituit, confirmat, & consecrari facit.

Num. 1.

Atq; vt plane agnoscant nostri Papæ, quàm miserè errent, dum pulcherrimam, quam exposui hactenus, turbant Hierarchiam.

Repetitæ calumniæ in Pontificem Romanum.

Num. 2.

Qui (Anacletus) ita scripsit, quicunq; ille fuit, aut diuino spiritu, quod futurum erat præuidit; aut oculis suis conspexit, Romanos nostros Pontifices verè tyrannicè, vt ipse loquitur, sibi Episcoporum omnium, etiam remotissimorum ordinationes vsurpare.

Calumniosa interpretatio verborum Anacleti, qui Romanorum Pontificum nullam mentionem facit.

Num. 57.

Obijcies tertiò Gregorium irasci, quod Maximus Salonitanus Episcopus ipso nescio & incõsulto, fuerit ordinatus. Respondeo inde Gregorium maximè irasci. (Et paulo post) quia ex recentiori consuetudine, Metropolitani, aut à suo Patriarcha erant consecrandi, aut non sine ipsius assensu & Decreto:

Responsio auctoris ignorantiam ostendens.

Num. 58.

Quamuis dubium non sit Martinum (primũ sanctum Martyrem & Pontificem Philadelphi Episcopo Orientali epist. 5. authoritate Apostolica præcipientem, vt constituat per omnem ciuitatem earum, quæ sedi tum Hierosolytanæ tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, Presbyteros & Diaconos,) sibi adhuc plusculum aliquid tribuere, sibique ipsi nonnihil assentari.

Assertio in S. Martyrem & Pontificem calumniosa, quem M. Antonius ex caritate tantum fecisse ait, quod summus Pontifex ex auctoritate Apostolica, quæ data est nobis à Domino per Petrum sanctissimum Principem Apostolorum, *factum esse profitetur.*

Num. 61. *& vlt.*

Nunc satis sit minuere omnem inobediẽtiam & rebellionem Episcoporum aduersus suos Archiepiscopos Romæ hodie, & iam diu pro Pa-

patus maiori incremẽto foueri, nutriri & defendi, vt iam Episcopi nostri flocci faciant suos Archiepiscopos: Qui & ipsi non sine aliqua (ignoscant mihi quod verum dicam) stoliditate cedũt facile; siue quia iam nihil ad ipsos, si verum Ecclesiæ regimen, & Ecclesiastica disciplina in ipsorum suffraganeis, totaque Prouincia contemnatur; propria enim eheu plurimi curant, & in regimine suarum, Ecclesiarum, stertunt ac dormiunt, & ignauia planè contabescunt, siue quia Papæ adulantes, à quo vel timent sibi, vel sperãt, Metropoliticam ei libenter & vltrò cedunt potestatem. Quod si Archiepiscopi ita contemnerent Papam, sicut ipsi, Papa auctore, à suis suffraganeis contemnuntur, qui se eis penitus iam faciunt æquales, ordo certè hierarchicus facilè ad suam primam institutionem, integritatemq; reuocaretur, & primæuum suum splendorem recuperararet. Vtinam.

Conclusio libri tertij in sedem Apostolicam contumeliosa, scandalosa, & proœmio libri simillima.

LIBRI

LIBRI IV.

De Romana Ecclesia,

Procemium.

Proœmium calumniosum in Romanam Ecclesiam.

CAPVT I.

ECclesiam Romanam non esse peculiarem Petri sedem.

Titulus infra num. 8. *Explicatus his verbis.* Illud est firmiter asserendum, Petrum ita fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, vt tamen nulla alia peculiari ratione in ea vrbe Episcopatum tenuerit, nisi ratione sui Apostolatus, *hæreticus est, traditionibus, Concilijs, Patribus & historijs repugnans.*

Num. 1.

Supremus Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque supra cæteras omnes Christi Ecclesias imperium, sicuti reuera nullis solidis innititur fundamentis, ita penitius illum consideranti & excutienti, statim suam prodit imbecillitatem, nutat, ruit, concidit, prosternitur.

Assertio hæretica & schismatica.

Num. 5.

Ideo Vicarij Petri dicebantur Romani Pontifices,

fices, quia se in locum Petri, hoc est, puri ministri, & serui substitutos puros ministros & seruos agnoscebant.

Expositio inepta, nominis Vicarij & hæretica, quatenus dicit Petrum & Petri successores esse puros ministros.

Num. 9.

Si itaque fundatio Romanæ Ecclesiæ spectetur, eam aut magis, aut non minus Paulo deberi, quam Petro affirmamus.

Assertio hæretica, in verbo non minus, *quam repetit infra, num.*11.

Ibidem.

Nescio tamen cur idem Chrysostomus Petrũ Romæ prædicasse asserat, tunc quando ad Romanos Paulus scribebat.

Nescis quia scire recusas.

Num. 21.

Vbi Petri Romam aduentus secundo Claudij anno? quod quia Eusebius in chronico, certè inconsideratè ac indiscusśè protulit, inde & Hieronymus, & cæteri ferè omnes scriptores posteriores errorem hauserunt.

In Eusebium, aliosque Patres, inconsiderata, ac malitiosa censura.

Num. 25.

Neque Antiochiæ, neque Romæ Petrus propriè

priè ſedit, qui non vt ſederet, ſed & excurreret Apoſtolatum accepit, & quocunque pergebat, ſemper ſuam Cathedram, hoc eſt Epiſcopalem poteſtatem, ſecum deferebat, quam nulli certo loco alligatam habebat.

Propoſitio falſa, quæ aut ignorantiam, aut malitiam authoris prodit.

Num. 28.

Paulus certè, vt iam ex multis coniectutis videor manifeſtaſſe, prius Romam venit, quam Petrus; & Romanam Eccleſiam fundauit, in eaque ipſe prior Cathedram Epiſcopalem collocauit, hoc eſt Apoſtolicam actualem poteſtatem exercuit, & vſque ad mortem ibidem laborauit.

Concluſio falſa & temeraria, communi ſententiæ Patrum & hiſtoricorum repugnans.

Num. 30.

Iuſtinus, Irenæus, qui cum nullam de ipſius Simonis Magi extinctione per Petrum Romæ facta, mentionem habeant, valdè ſuſpectam reddunt totam hiſtoriam, de hac eadem Magi Romæ per Apoſtolos extinctione, & cõſequenter de Petri Romam aduentu, occaſione Magi perſequendi.

Suſpicio temeraria.

Num.

Num. 31.

Quare primus Petri Romam aduentus omnino ponendus eſt circa duodecimũ Neronis annum: quo enim tempore, & non prius Baronius ponit ſecundum Petri aduentum, id, vt probaui, plane tempus deberet eſſe primi aduentus. Paulus itaque integro fermè decennio prius Romam venit quam Petrus:

Aſſertio plane temeraria.

CAPVT II.

Romanam Eccleſiam eſſe Eccleſiam particularem tantum, vnam ex cæteris.

T*Itulus hæreticus in verbo tantum, quem authoritate Pontificum Patrum Conciliorum Hiſtoricorum male adducta, male probat.*

Num. 2.

Vniuerſalitatem verò illam ſupremam Papatus nunquam fuiſſe, aut agnitam puræ Eccleſiæ, aut in ea commemoratam.

Aſſertio falſa, veritati hiſtoricæ repugnans, ſicut eadem num. 11. *in fine repetita.*

Num. 5.

Martinus ſeruus ſeruorum Dei, atque per gratiam

tiam eius Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ, &c. Hic certè suũ Episcopatũ restringit ad ipsam Ecclesiam particularem Vrbis Romæ, quam Catholicam vocat, vel quia erat vna ex Catholicis, hoc est, fidẽ Catholicam amplectentibus ac docentibus, vel quod totius Catholicæ Ecclesiæ Vniuersalis membrum esset.

Sancti Martini Papæ I. verba ineptè à M. Antonio detorquentur.

Num. 36.

Imò ipsam esse constat perfectissimè schismaticam, & quod peius est, & schismati addit tyrannidem verè Antichristianã caput se contra Christum, qui solus, & verum suæ Ecclesiæ caput est, constituit.

Propositio falsa, hæretica & calumniosa in Romanam Ecclesiam.

CAPVT III.

Num. 7.

VAnam verò & commentitiam illam maternitatem respuamus, quam ei nostri Monarchici tribuunt; videlicet ideo eam esse Matrem omnium Ecclesiarum, quia ab ea omnes Episcopi suam habeant ordinationem, & dignitatem.

Propositio priore sui parte hæretica, & seditiosa.

CAPVT

CAPVT IV.

Conſtantinopolitanam Eccleſiam paribus eminere priuilegijs cum Romana.

Titulus hæreticus ab impugnationibus canonum & Leonis Pontificis malè defenſus.

Num. 20.

Hierarchiam Eccleſiaſticam inter Epiſcopos, eſſe de ſolo iure humano: & nego Primatus hoſce ad res diuinas pertinere, multo magis nego ex iure diuino Romanam Eccleſiam, aut vllam aliam particularem, vllam præeminentiam ſupra cæteras vnquam habuiſſe, quod opinabatur Leo ſuſtinere nō poteſt, qui facilè ſibi etiam ſcripturæ contraria ſolet in gratiam huius Primatus perſuadere.

Repetitio plurium hæreſeon ſupra improbatarum, cum adiuncta graui calumnia Leonis Papæ.

CAPVT V.

Romanum Clerum, hoc eſt, Cardinales, nullam habere aut dignitatis, aut poteſtatis ſupra alios cleros vllo iure, vel diuino, vel Eccleſiaſtico, prærogatiuam.

Titulus falſus, & erroneus, in verbo vllo iure.

Num.

Num. 5.

Omitto itaque nunc, imò contemno, etymologiam Cardinalium, quam ſibi ipſi nimium blandiens excogitauit Leo nonus, dum Papam facit Cardinem totius Eccleſiȩ, & inde Clericos ipſius ait vocari *Cardinales*! cardini vtiq; illi, inquit, quo cętera mouētur, vicinius adhærentes. Cardinem enim illum ab Eccleſiæ valuis, & amoui, & amoueo, & amouebo, & meam etymologiam, vt veriſſimam & propriam iam confirmo.

Vana iactantia. Portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam.

CAPVT VI.

Romanum Epiſcopum non eſſe propriè peculiarem Petri ſucceſſorem.

Titulus ſæpius repetitus, hæreticus & ſchiſmaticus, quem malè probat, & contra Bellarminum & Baronium, malè defendit.

Num. 2.

Non enim Petrus habuit quicquam peculiare, in quo ei dari debeat, magis quàm cæteris ſimul omnibus, ſucceſſio.

Repetitio hæreſeos præcedentibus libris frequenter improbatæ.

Num. 7.

Planum est Papatum hunc esse totum fictitium, commentum hominum, à Christi institutione remotissimum.

Repetitio hæresis, & calumniarum in Romanam Ecclesiam.

Num. 19.

Absolutè nego Romanum Pontificem esse Petri peculiarem quocunque iure successorem: ex iure enim diuino colligimus, Romanum Pōtificem non posse vlla ratione peculiari Petro succedere.

Assertio hæretica, schismatica, & Romano Pontifici contumeliosa.

CAPVT VII.

Ecclesiam Vniuersalem nullum habere in terris vnicum caput Vniuersale.

Titulus hæreticus & scismaticus.

Num. 1.

Quis non videt Primatū hunc Romani Pontificis totum esse vsurpatum, & Christi institutioni, sanctisque Euangelijs, & Diuinis scripturis repugnantem?

Propositio hæretica, & in Romanum Pontificem iniuriosa, quam n. 2. diuersa phrase repetit.

Num. 8.

Sicut enim sola vsurpatione Papa se erexit, ita

ita poteſt ſublata vſurpatione aboleri, quod non modo abſurdum non eſt, ſed etiam in Eccleſia omninò neceſſarium.

Propoſitio ſchiſmatica & ſeditioſa.

Num.25.

Sancti priſci Romani Pontifices, pluſculum aliquid ſibi quàm par eſt tribuerunt.

Propoſitio in ſanctos Pontifices antiquos, iniurioſa.

Num.38.

Vniuerſalis Eccleſiæ caput hoc ingens toti corpori graue ambitio potiſſimum Romana genuit. Qui quidem Papatus monſtroſus non ſtatim totus in lucem eſt editus; ſed paulatim diuerſis ſe occaſionibus offerentibus, & per partes, acceptis ſubinde incrementis, ex informi imbecilloque embryone in validum, & maturum fœtum adoleuit: tandemque exactis temporibus partus ille infœlix, totique Eccleſiæ infeſtus ex vtero prodijt.

Propoſitio calumnioſa in Romanum Pontificem, & hæretica in verbo paulatim, in quantum indicat Pontificem Romanum non ſemper fuiſſe caput Eccleſiæ.

Num. 53.

Maneat ſupremum Papatum cum poteſtate Vniuerſali in iſtam Eccleſiam Vniuerſalem, nullum eſſe in Eccleſia, neque eſſe poſſe aut debere.

Concluſio hæretica.

CAPVT VIII.

Romanum Papatum Vniuerſalem ſanæ Eccleſiæ nunquam fuiſſe cognitum.

Titulus falſus oſtendens vel autoris ignorantiam, vel in mentiendo inuerecundiam, quem malè tortis Conciliorum œcumenicorum & ſanctorum Patrum auctoritatibus fruſtra probare conatur.

Num.53.

Sed ego quoque illiteratum & notoriè ac inſigniter ſceleſtum ex ſanctorum Patrum dictis inſinuaui, ſacrum ordinem non ſuſcipere, & ſacrum ordinem poſſe amitti.

Hæreſis Bohemorum in Concilio Conſtantienſi damnata.

Num.75.

Ego verò Papatum ſchiſma merum eſſe aſſero, ac probo, factionemque ſe à reliqua corporis compage auellentem. Hinc illa Eccleſiæ Orientalis & antiqua, & hodierna ab Occidentali etiam in dogmate obfirmatior auerſio. Hinc certè Eccleſiarum quarundam ex illis, quæ reformationis ſtudio omnem cum Romana communionem abiecerunt, feruor & vehementia.

Propoſitio ſchiſmatica & in Romanam Eccleſiam calum-

calumniosa, neque enim eius culpa, sed propria sua malitia homines hæretici ab Ecclesia deficiunt.

CAPVT IX.

OPtimè colligitur in Ecclesia Vniuersali Episcopum vniuersalem nullum dari, quia illa à particularibus Episcopis tota regitur sufficientissimè, qui à nemine turbari debent.

Hæretica assertio supra sæpè improbata.

Num. 19.

Romanus Pontifex, ipse est primus & maximus Canonum contemptor & conculcator.

Propositio calumniosa.

Num. 22.

Omnia tamen hæc sedis Apostolicæ priuilegia esse falsa, ac partim ipso facto illegitima, partim alijs erepta & vsurpata ostendo.

Assertio temeraria.

CAPVT X.

Dicta & facta veterum, Papatum præ se ferentia, eidem nil prodesse.

TItulus falsus est & factiosus, quem Marcus Antonius contra auctoritates, facta, & exempla Patrum, Pontificum, Conciliorum, vanè statuit.

Num. 11.

Concilia Occidentalia, vt Lateranense sub Innocentio III. Lugdunense sub Gregorio X. & Florentinum, sub iugo Monarchiæ Romanæ Ecclesiasticæ iam dominantis gemendo, applaudere tanto Monarchæ sunt coacta.

Propositio falsa, calumniosa, & scandalosa.

Num. 50.

Hic est error iam ordinarius Pōtificum Romanorum, dum opinantur à Christo fuisse Petro quendam Primatum iurisdictionalem in Ecclesiam Vniuersalem traditum, & per Petrum in Romanos Pontifices propagatum.

Propositio hæretica & schismatica, in verbo, error.

Num. 53.

Postremi tamen postremarum ætatum Papæ, iam planè omni deposita modestia, cum multis & apertis, voluntarijsque vsurpationibus, se ad hunc absolutum & maximum Papatum euexerunt, facti per fas & nefas totius Ecclesiæ Monarchæ absoluti, & de suo hoc exorbitanti Monarchatu, non modò encomia, sed etiam Decretales, & definitiones ediderunt.

Inuerecunda, & immodesta in Romanos Pontifices calumnia.

Num. 95.

Bedam,& Anselmum,& Hugonem Victorinum,& Bernardum, inter Monarchicos, non quidem decipientes, sed potius deceptos reponimus. Alios verò posteriores, magna ex parte parasitos & assentatores, malæque fidei deceptores, & contra propriam scientiam atque conscientiam, contentiosos & verbosos disputatores, isthac in causa reijcimus penitus, ne dicam, contemnimus.

Propositiones contumeliosæ.

Num. 98.

Quare Bonifacij Octaui definitio, quam secutus est etiam Leo Decimus, qua declaratur, de necessitate salutis esse omni humanæ creaturæ, Romano Pontifici (vt capiti, putà in spiritualibus & temporalibus vniuersali) subesse errorem continet intolerabilem.

Propositio hæretica.

Num. 99.

Si quis verò opponat in Concilio Constantiensi, fuisse Wicleffi & Hussi articulum de Primatu Papæ ab eis negati condemnatum: Respondemus, Patres Concilij Constantiensis Monarchiam Ecclesiasticam tenuisse, & communissimo iam errore fuisse infectos.

Propositio hæretica, & in Concilium Constantiense iniuriosa.

CAPVT XI.

Num. 19.

CArdinales itaque cùm primum soli cœperunt esse Romani Pontificis Electores, per vim & iniuriam, contempta iam firmatissima Apostolica regula, & totius Ecclesiæ consuetudinibus, ac statutis innumerabilibus conculcatis, iniqui fuerunt huius Electoratus vsurpatores, & adhuc sunt iniqui eiusdem detentores, malæ fidei possessores. Quare si sede vacante, Canonici Lateranenses cum reliquo Romanarum Ecclesiarum proprio clero, & senatu, populoque Romano coniuncti, Pontificem Romanum eligerent, & eundem sic electum facerent ab Episcopis circumuicinis, etiam non Cardinalibus (si Episcopi Cardinales renuerent) consecrari, is verus & legitimus esset Romanus Pontifex, multo magis quàm ille, quem in conclaui eligerent Cardinales, & consecrarent.

Propositio calumniosa in Cardinales, seditiosa, & hæretica in aßignatione firmæ electionis Pontificiæ.

Num. 46.

Electio enim ipsa, vt dixi & dicam, non facit Episco-

Episcopum, neque de se est aliquid spirituale, sed merè temporale, in quo Principibus condescendere, & obtemperare interdum operæ pretium esse duxit.

Propositio erronea in verbo mere temporale. &c.

Num. 47.

Electionem verò & confirmationem, nihil Ecclesiasticæ potestatis cuiquam conferre, sed personam tantum designare, cui Ecclesiastica potestas sit ab ordinatoribus solis tradenda.

Propositio scandalosa, & hæretica, in quantum dicit potestatem omnem per solam ordinationem conferri.

CAPVT XII.

Legatos Romani Pontificis, extra Romanam Ecclesiam, vix vllam habere potestatem.

Titulus, hæreticus, schismaticus & seditiosus.

Num. 1.

Romanam Ecclesiam possum considerare in triplici statu. Primum sanam: deinde valetudinariam: ac demum penitus ægram: Primis temporibus sana fuit & vegeta: medijs leuiori morbo laborauit: postremis prostrata decubuit & decumbit, vtinam non ad mortem. Aegra demū Romana Ecclesia legationibus ad fastum dūntaxat, pompam, dominatum, & auaritiam ac rapacitatem iam diu vtitur.

Propositio falsa & contumeliosa in Romanā Ecclesiā.


Num. 21.

Postremis demum temporib. legationes Romanæ, & Nũciaturæ ad auaritiam ambitionem, & ad sola negotia terrena, & temporalia, expeditæ sunt, & expediuntur, legationes sanè ordinariæ Piceni, Romandiolæ, Bononiensis, Ferrariensis, Auinionensis, & si quæ sunt similes, sunt Præturæ, Prouinciales, vel Præfecturæ, & Proconsulatus, nõ Ecclesiasticæ pro rebus Ecclesiasticis legationes, vt omnibus reipsa notum est, & & manifestum. Nuntij verò Papæ nunc dierum apud Imperatorem, Reges & Potentatus Christianos, eodem penitus loco sunt, quo Regum Legati in Curijs Principum sęcularium, pro negotijs nimirum sæcularibus potissimum tractãdis, & indagandis, commorantes. Ac certè, si optimo eos nomine insigniamus, sunt oratores, sin verò exploratores.

Propositio falsa, seditiosa in Romanum Pontificem, eiusq; legatos calumniosa.

Annunciaui iustitiam tuã in Ecclesia illa magna, non ex meo ingenio, vt tu ipse Domine testis es, tua, non mea, verba annunciaui, & adhuc labia mea non prohibebo, quæ, vt olim labia Asinæ Balaam, tua solius mota virtute sunt proloquuta.

Ficta sanctitas Marci Antonij.



FINIS.

OMnium harum propositionum cēsura per deputatos Facultatis Theologicæ Magistros & Doctores, Facultati toti, post decantatum sacrum de S. Spiritu, exhibita, & approbata, lecta est, & promulgata in aula Theologica, iussu, & authoritate Magistrorum eiusdem Facultatis, solenni ritu præsidentium, præsentibus Licentiatis, Baccalaureis, cæterisque Theologiæ studiosis, ad hoc specialiter conuocatis: ac pleno totius Vniuersitatis auditorio. Et per omnia concordat cum suo originali.

De mandato dictorum DD. Decani & Magistrorum Sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis.

Ita testor

Iacobus Eilinck Vniuersitatis Colon. ac Theologicæ Facultatis Notarius, & Pedellus.


IHS